

06

A

1008



I
S
lo



I. N. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

ELECTIONE

& REPROBATIONE,

Quam

Auxiliante salutis Fonte, Jesu Christo.

In

Alma Universitate Wittebergensi

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

Admodum Reverendo, Amplissimo atq̄

Excellentissimo,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

SS. Theol. D. Ejusdemq̄; Facult. Prof. Publ. Primar.
longè celeberrimo, ac p. t. Decano Spectatissimo, Con-
sist. Eccl. Adfessore gravissimo, Ecclesiæ Witteberg.
Pastore & Electoratus Saxonici Superintendente Generali

meritissimo, vigilantissimo &c.

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore

suo, filiali obsequio ac devotione æviternum colendo

ac suspiciendo.

Publico Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES ENSEL Hungarus.

A. & R.

In Auditorio Majori ad diem Maji.

Typis MICHAELIS Wendt. 1661. 15



GENEROSISSIMO, NOBILISSIMO
ET MAXIMÈ STRENUO
VIRO

DN. STEPHANO
WYTTNIEDY, de, &
in Musay;

*Illustrissimo, cum primis, ac Celsissimo
Comiti, Domino*

DN. NICOLAO à ZRINIO,
Regnorum Croatiae, ac Slavoniae BANO
Potentissimo &c. &c; ab intimis & Secretior.
Consiliis, eminentissimo, gravissimo &c.

*Domino suo Patrono, Mæcenati, Nutritio,
& in studiis, quæ Trivialib. quæ Academ. ab Annis
quatuor & quod excurrit, Promotori
munificentissimo*

THEOLOGICUM HOCCE EXERCITIUM

In animigratissimi & perpetuæ observantiæ
Tesseram ac Testimonium

humilimò animò

D. D. Consecrat

AUCTOR & RESPONDENS.



06 A 1008



I. N. J.

PRAELOQVIUM.

ARduus est & difficilis, *doctrinae fidei, Articulus*, de aeterna hominum *Electio*ne, ad gloriam vitae caelestis. In eo enim quicquid tractatur ac docetur, id omne, arcanum est, & magnum pietatis Sacramentum. Neq; mirum! Nam totius doctrinae istius origo & fundamentum, DEI Filius est, *Agnus ille occisus ab origine mundi. Apoc. XIII. v. 8. Manifestatus autem novissimis temporibus I. Petr. I. 20.* Cujus rei admirabilem *Oeconomiam* (quae vox in Graeca Ecclesia olim frequens) cognoscere desiderant, ipsi sanctissimi Angeli I. Petr. I. 12. Et in eandem Apostolus quoq;, aliam in caelis edoctus, tantò verborum apparatu exclamat; *Citra controversiam magnum est pietatis misterium; Deus manifestatus est in carne, I. Timoth. III. 16. Absconditum erat à seculis & generationibus, verbum Evangelij. Coloss. I. 26. Ephes. III. 9.* Absconditus fuit ipse Christus, & absconditum simul totum *Electio*nis nostrae ad vitam, arcanum. Expositum tamen in tempore, per Christum, & ejus S. Spiritum, in Scripturis. Ideò ad illas ablegamur unice Joh. V. 39. Quotiescunq; gratiosam DEI dispensationem, circa salutis nostrae rationem, aut cognoscere volumus, aut meditari. Nec abs re: quaecunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus ad Rom. XV. 4. Si autem ullum punctum, ac momentum, inter universam orthodoxae fidei doctrinam; spem, atq; fiduciam

ciam exhibet fidelibus, in omni afflictione & tentatione, certè, vera de *Electiōe*, seu *Prædestinatione* doctrina; quod etiam Formula Concordiæ Ecclesiarum nostrarum accuratâ instructione observavit pag. 618. seq. Hoc tamen parùm videntur curare Adversarii nostri, à quibus, partim ad absolutam & simplicem DEI voluntatem, in hoc *Articulo* recurritur, partim, à conditione operum & meritorum nostrorum, certitudo salutis, & hæreditas vitæ æternæ suspenditur, ut alios *aliorum* errores nunc taceam. Quæ sanè omnia; nihil minùs, quàm consolationem, & firmam in misericordia DEI fiduciam suppeditare possunt. Propterea animus nobis est impræsentiarùm, secundum verbi divini ductum, ac cynosuram, non nihil impendere operæ, ad veritatis confirmationem & falsitatis refutationem, in doctrina de *Prædestinatione* hominum ad vitam æternam, & *rejectione* quorundam, ab eadem, factâ utraq; ex æterno & immutabili DEI decreto.

§. 2. Atq; ut rationem totius instituti nostri, in idea quasi priùs repræsentemus, non disputabimus hâc vice contra omnes Adversarios, qui in hac fidei doctrina non levissimè impingunt; sed solùm contra Calvinianos, qui tamen hodiè malunt vocari Reformati. Idq; facturi sumus non prolixè adeò; sed in tribus tantùm *Thesibus seu Positionibus, de meritoria scilicet & instrumentali Electiōis Causa*: Christo, & fide hominum prævisa; Itemq; *meritoria Reprobationis causa*; contumaci & finali quorundam hominum incredulitate. His tamen tribus punctis, ordinis & methodi gratiâ, brevem totius doctrinæ Calvinianorum *συναγωγή* præfigemus.

§. 3. Cæterùm, quamvis non simus nescii, quin harum trium *Thesium* fulcrum ferè sit, ac fundamentum: *Doctrina de universali & misericorde DEI voluntate; de universali item ac propitiatorio pro omnibus hominibus Christi merito & satisfactione; deniq; de universali & gratiosa DEI vocatione, ad omnes homines, singulâ propemodùm ætate ac seculorum periodò, toties, à condito mundo iteratâ; nihilominùs eadem, cùm prolixiorem requirant tractatum, præterire cogimur, satius esse putantes, nihil dicere*

cere, quàm parùm. Ubi autem in discursu nostro occasio tu-
lerit, illis ipsis doctrinæ Christianæ capitibus tutissimè innite-
mur, tanquam fundamentis, à nostratibus aliàs sæpissimè & in-
victissimè, cùm confirmatis, tum vindicatis. Quare, in no-
mine *Jesu*, esto initium.

Sententia Adversariorum

§. 4. Primum, aut saltem palmarium Eorundem princi-
pium est; quod DEUS volens demonstrare justitiam suam in
Reprobis; misericordiam verò in Electis, ab æterno elegerit
quosdam ad vitam æternam; *quosdam* reprobârit ad æternum
exitium. Utrinq; autem *ex absoluto suo & simplici beneplacito*,
sine ullo, antecedentis obedientiæ, aut inobedienciæ, natura-
lis, vel supernaturalis; sine ullô item bonæ, aut malæ, positi-
væ, aut privativæ qualitatis, per naturam, vel per gratiam
in hominibus, repertæ, intuitu & respectu. De *objecto* autem
utriusq; , cùm Electionis, tum Reprobationis, *tot ferè sunt in-
ter Eos* (verba sunt Remonstrantium Par. II. Act. Synod.
Dordrech. pag. 5.) *qui Contra-Remonstrantes* (hodiernos Re-
formatos intelligunt) *dicuntur, sententiæ, quot capita. Eaq; tam
diversæ, tam longè à se invicem distitæ, ut Autores ipsi inter se con-
tendant: ex una sequi, Deum insipienter agere; ex altera, Deum
in justè, iniquè & Tyranni in morem agere. Alia, tantæ sit subtili-
tatis, ut propriâ suâ vanitate evanescat.* Hæc illi. Sæctæ tamen
Eorum, circa hanc doctrinam, extantiores, vulgò statuuntur
duæ, quarum una sit, *supralapsariorum*; altera verò, *sublapsa-
riorum*. Vulgò dixi. Nam si accuratiùs inspexerimus *supra-
lapsarios*, in duplici sunt differentia. Et alii, vocari possunt
Actuales, alii *Potentiales*. *Actuales* quidem, qui pro *objecto*
Prædestinationis divinæ, quò vocabulô utrumq; decretum com-
prehendere volunt, substernunt hominem, in mente divina,
nudè creabilem & labilem; non autem creatum, vel lapsum.
Adeò, ut cum statuisset DEUS apud semetipsum, justitiam
suam & misericordiam, alicui extra se manifestare, intellexif-
setq; simul infinitam suam potentiam, ex qua homines, in
A 3 quibus

quibus manifestatio illa justitiæ ac misericordiæ, fieri deberet, prodire possent; decreverit tum statim, quosdam creare ad honorem & gloriam, quosdam verò ad dedecus & ignomiã. Ita, ut antequàm actuale decretum faceret, de creandis hominibus, priùs repræsenteret sibi & statueret, quosdam, ex immutabili suâ voluntate, fore *Electos*; quosdam, omninò *Reprobos*. Tantùm, quia ita placuit. Erat cum hæc opinio ex Antiquioribus; *Calvini ipsius, Beza in commen. in cap. IX. ad Rom. Zanchij, Piscatoris & aliorum, quos magnò numero adductos vid. in Actis Remonst. loc. cit. p. 13. seq.* Ex recentioribus *Wilhelmi Twissi, Franc. Gomari disp. A. 1604. Festi Hommij Thesau. Catech. p. 216. Maccovij volum. I. disp. 29.* Et qui forsàn hodiè adhuc superest, *Gisberti Voëtii*. Atq; hi sunt omnium *altissimi*. Illi verò sunt *subtilissimi*, quos, ut dixi supra, nunc *Potentiales* nominamus, qui quærunt tantùm de absoluto jure Dei; an nimirùm potuerit, in objecto Prædestinationis æternæ, spectare homines nudè, duntaxat: ut creabiles, ut labiles? & affirmant, quòd potuisset, si quidem ipsius libertati ita visum fuisset. Et hætenus Viri isti spectant ad *supralapsarios*, quantum ad *potentialitatem* hanc fictam. Quia verò negant, Deum absolutâ illâ potentiâ suâ, actu ipsò, usum fuisse; quin potiùs in eo, quidnam, DEO visum fuerit, & quomodò homines, in æterno suo conceptu, eligendos, & reprobandos spectarit, per omnia cum *sublapsariis* conveniunt, eatenus ad classem istorum pertinere videntur. Tales autem sunt: *Wittakerus conc. ult. A. 1595. Paulus Ferrius in specimine Scholastici orthodox. pag. 28. Moses Amyraldus cum tota Schola, tract. de prædestinatione. cap. 4.*

§. 5. Tertia deniq; & ultima secta est, *sublapsariorum*, qui pro objecto divinæ Prædestinationis ponunt hominem in signo rationis divinæ, jam ut creatum, & ut lapsum. Atq; hæc sententia placuit plerisq; P. P. Synodi Dordrech. Eamq; cum primis ibidem canoni zârunt; & retinent hodierni omnes, vel unicò Voëtio exceptò. Negant isti unanimiter contra Prædecessores suos, hominem in æterno Prædestinationis decreto, vel consideratù, ut creabilem & labilé, vel ad minimum eâ ratione considerari à DEO, potuisse. Docent autem cœcò Zelò ac Spiritu: Deum prævidisse ab æterno, homines in integritate quidem

con-

conditos, lapsuros communiter in Adamo; ex lapsis verò, simplici suâ voluntate elegisse quosdam, quibus deinde sufficientia media ordinavit; quosdam verò absolutò odiò reprobâsse, aut saltem præteriisse, citra ullum antecedentis delicti, inobedienciæ, aut cujuscunq; affectûs inordinati, originali quidem peccato, superadditi, respectum & considerationem. Hâc igitur ratione, hòc modò, celebratur hodiè Helena illa absoluti de Prædestinatione hominum decreti, quod identidem, *Cor & Palladium Ecclesiæ Reformatorum* vocatur à citatis P. P. par. I. Synod. pag. 212.

§. 6. Quanquam verò recensiti hætenùs & enumerati, in explicatione absoluti Prædestinationis decreti, quòdam modò dissentiant; in Centro tamen causæ, ut dici solet, omnes conveniunt. Quando causam Electionis & Reprobationis, unò ore constituunt: *liberam Dei voluntatem, omnes alias causas antegredientem, solam, meram, simplicem, immutabilem, æternam voluntatem; occultum, arcanum, absconditum consilium, decretum, propositum &c.* Et consequenter, quando docent; fateri tamen non audent, quod decretum DEI, de ipso Christo, in Mediatorem redemptionis, & salutis datorem, constituendo, ex hoc ipso absoluto decreto, quo antè, singulares quedam Personæ, immutabiliter ad vitam & salutem æternam, destinata dicuntur; velut ex prima sui scaturigine profluat, observantibus alicubi in Act. Remonstrantibus. Inde tandem est, quòd conceptis verbis negent: Christum esse meritoriam Electionis nostræ causã. Polanus de Prædest. pag. 44. Piscator volum. 1. LL. loco XIX. thes. 22. Maccovius LL. cap. XXVI. expressè: *Electio non est facta propter Christum, tanquam causam meritoriam.* Similiter Marefius Syst. Theol. Loc. IV. thes. 41. & alii. Fidem quoq; prævisam, ex decreto Electionis eliminant, & jam externum Electionis absolutæ, effectum faciunt; alii dicant, fidem pertinere ad Electionem non antecedenter; sed consequenter. Ita, ut non ad ipsam Electionem æternam; sed potius ad ejusdem Executionem in tempore futuram, referatur. Ut: Crocius in defen. partis secunde conversationis Prutenicæ cap. XII. Keckerman. Syst. Theol. pag. 301. Petrus Martyr. O. pag. 835. Piscator volumine I. L. XIX.

I. L. XIX. thes. 21. & vol. II. L. XII. thes. 16. Maccovius Theol. Polem. cap. 7. &c. Amplius verò, publica quoq; ipsorum scripta v.g. Synod. Dordrech. Par. I. pag. 490. Sic inter alia habent: *Decretum Electionis seu Prædestinationis ad salutem, est efficax voluntas Dei, quâ pro suo beneplacito, ad demonstrationem suæ misericordie, salutem hominis lapsi intendit, eiq; media talia præparavit, (quo Christum & fidem referunt) quibus Electos ad istum finem, efficaciter, & infallibiliter perducere voluit. Et pag. seq. Hujus voluntatis causam motivam non agnoscimus aliam, præter merum DEI beneplacitum. Absoluta quoq; Reprobatio, apud ipsos in confesso est; quod facta sit, absq; ullius inobedientiæ, aut incredulitatis respectu. Plures igitur non citabimus; sed pergemus ad sententiam orthodoxam.*

Θ Ε Σ Ι Σ Ι.

Causa meritoria Electionis hominum ad gloriam, est *Christus Θεὸς Ἰησοῦς*; unde ejus meritum & satisfactio, in mente divina necessario præcedit, æternum *Prædestinationis* decretum.

Ἐ Κ Θ Ε Σ Ι Σ.

§. 7. Ac primò quidem, causæ vocem, hõc locò, non sumimus in sensu illo stricto ac rigoroso, quò notat realem & actualem influxum in effectum. Nam hãc ratione, ne concipi quidem probè potest ulla causa *Electiois*, quæ facta est ab æterno, cum præter DEUM nihil adhuc esset, nec etiam aliquid, in actum ejusdem perfectissimum, physicè agere posset; verùm, in sensu latiori, eminenti & (ut Philosophi loqui amant) *purificato*; pro ratione quãdã priori, impulsiva & inferente actuale illud Electionis divinæ decretum.

§. 8. Causa porrò ista Electionis meritoria, non tam sumitur à nobis *activè*, in respectu ad æternum DEI actum decernendi, qui actus, ut alia quoq; decreta DEI, causã nullã indiget, præter solum DEI beneplacitum; quàm *passivè*, in ordine scilicet: ad statum miserimum *objecti eligendi*. Homines enim habebant opus causã meritoriã, ut misericordia DEI,
cate-

cæteroquin ad actus suos prona; retardata tamen ac retracta quasi, à divina justitia hætenus, quoad Redemptor Christus interveniret, in omnes cum Adamo communiter corruptos, cum plenitudine quâdam gratiosâ, effundi posset. Unô verbô, causa meritoria in hoc loco, non tam ad *formale* Electionis, seu actum decreti divini, quàm ad *materiale*, seu statum *obje-cti eligendi*, est referenda.

§. 9. Cæterùm, quemadmodùm misericordia, seu voluntas DEI quôdam modô antecedens, quâ ferebatur DEUS, quousq; vi suæ essentialis justitiæ poterat, in totum genus humanum, est *universalis*; Ita quoq; meritum Christi, ex illa eadem universali DEI intentione profluens, est *universale*, quod, ex consilio & ordinatione divina, pro omnibus hominibus jam lapsis, præstitum est; adeò, ut omnes quoq; ac singuli, per illud meritum sufficientissimum, eligi potuerint ad vitam æternam. Et hætenus, nulla in nobis, aut operis, aut fidei prærequirebatur conditio ac respectus, quantum quidem attinet ad recuperationem & restitutionem vitæ æternæ, per primos Parentes, amissæ. Quia tamen Electio propriè loquendo, non adoptionem ad primævam illam gratiam, seu reconciliationem hominum cum DEO, respicit; sed potiùs designationem & adsertionem ad hæreditatem vitæ æternæ. Ea verò designatio & selectio, ex divina ordinatione, præsupponat in hominibus obedientiam & fidem, in verbo gratiæ, imprimis saltem prot-Evangelicæ, oblatam, quam sponte propriâ plurimi repudiârunt; hinc factum est, quòd tum *universalis* & *antecedens* DEI voluntas, jam quasi conciliata per Christum, quantum ad electionis & salutis actualis negotium, reddatur *particularis* & *consequens* ex parte hominum; tum quoquè *universale* illud Jesu Christi meritum, si usum, fructum ejus spectes, adeoq; electio ipsa fiat itidem *particularis* & *singularis*. Cum tamen, tam intima illa DEI *Φιλαδέφεια*, quàm satisfactio Christi, semper maneant *universales*, in se & suâ naturâ; hoc est: ejus virtutis ac efficaciam, ut per illa, omnes omninò homines, & eligi potuissent ab æterno & salvari in tempore, nisi contumacia illorum & finalis incredulitas fuisset interjecta. Poterant

B

enim

enim Deo clamanti & vocanti per verbum Evangelii, omnes æquè non repugnare per gratiã. Quæ omnia in sequenti thesi pleniora & planiora fient. Interim cujus è re est, vid. B. Gerh. in LL CC. de Elect. cap. XII. n. 205. Hutterum in LL. similiter Artic. XXII. pag. 795. Plu. Rev. & Excellent. Dn. D. Joh. Meisnerum disp. de vocat. univers. A. 1655. th. imprimis XI.

§. 10. Secundò, distingvimus inter *actualem* meriti Christi *existentiam*; & inter *aternam* ejusdem in tempore futuri, in ratione divina *Præscientiam*. Scilicet, æternum DEI decretum rimamur impræsentiarum; ac proindè æternas etiam & ultra omnes temporum differentias, projectas causas eidem adsignari oportet; cum res omnis, qualiscunquè tandem ea sit, si modò Deus ipse formaliter non est, suam quòcunquè modò præsupponat causam. At verò incarnatio Filii DEI, ejusdemquè immolatio facta est in tempore, eò igitur modò æternum Electionis actum, ingredi non potest. Ingreditur nihilofeciùs necessariò; sed eò respectu, quò dicitur occisus ab origine mundi, hoc est: *secundum aternam DEI Patris prævisionem & acceptationem* Apoc. XIII. 8. Atq; hac posteriori ratione spectat ad institutum nostrum, quemadmodum Deo Patri ac sibi simul ab æterno, unà cum plenissima sua satisfactione, fuit præsentissimus. Priori enim modò, *exequenda* Electionis & salutis actu jam *conferenda*, dicitur causa meritoria. Unde Dn. D. Deutschmann. disp. I. de Prædestin. th. 24 & 22. Anno 1658. accuratissimè inter alia: *Ultimum, inquit, Electionis punctum in aeterno decreto præsupponit Christi nativitatem & passionem prævisam & prædefinitam, non verò in executione consideratam, ut ita distingvendum sit inter meritum Christi prævisum & prædefinitum, & inter meritum Christi in tempore præstitum, atq; ipsò opere expeditum: illud meritoria causa nostræ Electionis, hoc meritoria causa exequenda, vel conferenda salutis.*

§. 11. Sed enim, ut ne quicquam dissimulare videamur, fatendum nobis est, cum meritum Christi, tum fidem ipsam (de qua etiam incidenter hîc dicemus aliquid, ne cogamur alibi) vocari aliquando effecta Electionis etiam ab ortho-
xis

xis Theologis, nonnihil tamen antiquioribus. Verùm di-
 stingvendum est inter locutiones *accuratas & exquisitas*; & in-
 ter locutiones *populares*. Nam vera causa meriti Christi, est
 gratuitum de missione & passione ejusdem, Dei decretum;
 fidei autem *principalis causa efficiens*, Spiritus S. *Instrumentalis*,
 ipsa Evangelii prædicatio & auditus. Populariter igitur, non
 heterodoxè dictum est à D. Augustino alicubi, & à B. Luthero
 in præfatione comment. German. in Epì. ad Rom. Aliisque:
*Electiõnem esse causam fidei & meriti Christi, ac fontem omnium eo-
 rum, quæ ad salutem nostrã requiruntur; quæ quidem verè præ-
 dicantur de Electiõne (Verba sunt B. Mentzeri T. I. Giss. disp.
 XIV. thes. 173. p. m. 620.) propter Dei propositum, secundùm quod
 facta est Electiõ, & propter principem causam Electiõnis, nempe
 DEI gratiam & dilectionem, ex qua est Christus mundo datus,
 qui Evangelium nobis manifestavit, ex cujus auditu fides est. Cæ-
 terùm mentem illorum Theologorum vindicatam apertissimè
 vid. apud Magnif. & Excell. Dn. D. Hülseman. de auxili. gratiæ
 disp. I. Thes. XXII. p. 37. Et Breviar. Supple. cap. XV. th. II. p. m.
 253. Et aliàs negari non potest: causæ vocem latius interdum
 sumi, pro omni cõ, quod, aliud antecedit; similiter quoq; vo-
 cem effecti, quod, aliud quoquò modò consequitur: sicut
 dies diem, calamitas calamitatem parere dicitur, in quibus
 non est verus causationis & consecutionis respectus; pari ra-
 tione, fides quoque nominatur effectum Electiõnis, non,
 ac si *exquisitè* loquendo, fidem in animis hominum gigne-
 ret Electiõ; verùm *populariter*, quoniam illam certò, semper
 & infallibiliter fides sequitur, juxta auream illam Apostoli
 catenam Rom. VIII. v. 30. quos Deus præscivit (non repudiatu-
 ros scilicet fidem salvificam; sed admissuros eam, per acce-
 ptam mediante verbi prædicatione facultatem non pertina-
 citer resistendi, ut *παρρησιασθησιν* modò cit. Dn. D. Hülsem.)
 & prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos & vocavit: &
 quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos &
 glorificavit. Sensus igitur phraseos: fides, quæ datur in tempo-
 re, Electiõnis effectum est, iste erit: fides certum & infallibile
 Electiõnis consequens est; quam non excutere tandem, per ho-
 minem*

minem regentem stat. In Compendio, ut totam rem exhibeamus, *distingv. inter meritum Christi & fidem* ratione intuitus divini ab æterno *consideratam*, & hoc modo Electionis *causa* sunt: ac *spectatam* ratione actus ipsius in tempore præstiti; & hoc respectu Electionis *effecta* dici possunt, cum *fides*, tum *meritum* Christi: quatenus prævisionem DEI æternam, in tempore consequuntur. *Plura videre poteris, in Anthropol. B. Meisneri dec. II. disp. IV. Th. 30. & in LL. CC. B. Hutter, articulo XXII. p. m. 802.*

§. 12. Tertiò, *disting.* Inter meritum Christi *consideratum absolutè*, tantum, quoad acquisitionem vitæ æternæ, factam absq; ullius obedientiæ, aut inobedienciæ hominum antecedentis respectu ac prævisione, & illò modò, propriè loquendo Electionis *causa* non est; nam respicit omnes homines ex æquo; & aliàs, cum Christus factus sit propitiatio pro peccatis totius mundi, omnes impii, sine pœnitentiâ & fide salvi essent & Electi: & *inter meritum Christi spectatum comparatè*, ratione apprehensionis & applicationis omnium beneficiorum, in ipso, & per ipsum, donatorum non nisi illis, qui perseveraturi erant in fide, & hòc posteriori modò à nobis intelligitur, *causa* Electionis.

§. 13. Quarto deniq; non inutiliter *distingvitur* inter *Christum*, quatenus est verus cum Patre & Spiritu S. Deus: & quatenus est mediator inter DEUM & homines; priori respectu est *causa efficiens principalis* & sola Electionis, posteriori verò, *causa impulsiva ac meritoria*; cum non dicamur solùm Electi in ipso, sed etiam per ac propter ipsum, in Scriptura. Illud tamen notandum hoc loco, quòd, quamvis *causa efficiens principalis* immediatè videatur *contradistingvi instrumentali*, nihilominùs meritum Christi, *instrumentum* Electionis dici non posse, sed potiùs *medium*: quanquàm ne hæc quidem vox de Christo in Scriptura occurrat, nam quòd, *I. Timoth. II. 5.* dicatur Mediator, aliud est. At forsitan non absurdè *medium* dixerimus Electionis; nam *medium* quandoq; potest esse *causa principaliter agens*, & quidem respectu ejus effectus, *cujus vocatur medium*. Ita, *dicitur Filius per proprium*

prium sanguinem nos sibi acquisivisse. Act. XX. 28. mediante corpore & sanguine Christi in sacra cœna nobis peccata remitti &c. quæ omnia, media dici possunt; nequaquam verò instrumenta propriè.

§. 14. Diximus nunc statim, non inutiliter distingvi inter Christum, quæ Deum tantum; &, quæ mediatorem. Calviniani enim, quando hac in partè clarissimis Scripturæ testimoniis urgentur à nobis, largiuntur ultrò: Christum seu filium Dei, causam, fundamentum atq; originem Electionis nostræ esse; adeoq; actuali Electionis decretò ab æterno factæ, priorem. Verumenimverò, ut hæc fraus, vel in ipsis Remonstrant. Actis part. 2. circa Articulum primum pag. 218. aperte detecta est; loquuntur de *Christo*, ut *Dæo*, non, ut *mediatore* simul; nam Christum, quæ mediatorem, decretò Electionis semper posteriorem faciunt. Ideoq; ut de nostra sententia è diametro Calvinianis opposita, ampliùs constet; Dicimus, Christum omninò esse causam & fundamentum Electionis; sed non volumus tantum id, quòd Christus sit caput Electorum (ut loqui amant Advers.) & fons omnium bonorum, quæ ipsis destinantur in Electione; quomodò enim hæc ratione Electionis fundamentum esset Christus? cum decretum Electionis jam factum esse præsupponatur, & antecedit decretum Exhibitionis, aut saltem destinationis bonorum spiritualium; si quæ essent propria solis Electis, quæ bona, nos quoq; Christo Mediatori accepta ferremus. Verùm hæc est mens nostra: quod meritum & satisfactio Jesu Christi, in mente divina (liceat uti phrasi Remonstrant:) præire ac præsterni debuerit, antequàm ullum hominem ad vitam æternam eligeret, aut de ullo nominatim & actu salvando quicquam cogitaret, misericordissimus Deus; decerneret item, ex voluntate jam consequen. nonnulla beneficia, vel solis Electis propria, tanquàm segregatis à cœtu reproborum. Licet enim misericordia divina ultrò propenderet in genus humanum, in præcognitione æterna jam quasi lapsum. Deus tamen vi justitiæ suæ læsæ, aut in ipso peccatore seu delinquente, si par fuisset expiando, aut in Sponsore quodam & Vade, satisfactionem omninò exigebat;

bat; si quidem perdere nollet totam massam illam corruptam, quod faciendum adeò dictabat justitia. Cùm autem ipsi DEO, hæc justitia non minùs, quàm misericordia sit essentialis, propter eandem, ut exactissimum peccatorum Vindicem, non poterat quenquam aut eligere, aut diligere ad vitam æternam actu decretam, antè; quàm Redemptor & Reconciliator Christus, inter Deum & homines interveniret; cujus admirabili & gratioso interventu, misericordia & justitia Dei, circa Oeconomiam salutis hominum, amicè tandem sibi invicem conspirabant. Atq; cum justificationis & salvationis eadem prorsus causæ sint; atq; Electionis; hinc est illud, quod affirmat Apostolus: *Rom. III. 25. in ipsa justificatione hominis peccatoris, qua consistit in gratuita peccatorum remissione, demonstrari DEI justitiam, in Christi sanguine, cujus meritò peccata nobis condonantur*: quemadmodùm in hac paraphrasi dicti Apostolici adeò sibi placent Beati illi & judiciosissimi quondam Theologi, Mentzerus *Tom. I. Giss. disp. XIV. Thes. 56.* Chemnitius *L. de justificatione cap. III. pag. 237.* Reverà enim rigorosè exigebat justitia DEI, in Christi passione & morte, puniendâ totius generis humani peccata.

§. 15. Per meritum autem illud & satisfactionem, intelligimus, cum universa orthodoxa Ecclesia; *totam Jesu Christi Θεου Υιου & obedientiam, tum activam, tum passivam, (ut loqui solent) quam divinæ legi prestitit, cùm sanctè secundum illam vivendo, tum omnis generis passiones, & ipsam deniq; mortem in cruce ignominiosissimam perferendo.* Et hæc obedientia est causa meritoria Electionis, quâ mediante, justitia & vita per Adamum amissa, denuò omnibus hominibus recuperata est, & restituta hætenùs, ut omnibus pateat accessus ad Deum, omnibus quoq; pateat cælum ad possidendum, si modò non spreverint ordinem illum & media, quibus vita & justitia per Christum parta, omnibus applicari poterunt in vitam æternam; sed hæc aliò spectant plenius pertractanda.

§. 16. Quia verò circa primam thesios nostræ partem, aliquid adhuc dicendum erat, qualem nam intelligamus Electionem. *Observ.* quòd aliàs notissimum est: vocem Electionis

nis in Scriptura S. ut quidem pro objecto habet homines, tribus præcipuè modis occurrere. I. Prout notat specialem aliquam designationem & separationem Personarum, vel ad speciale aliquod munus ac officium gerendum, ut *Luc. VI. 13.* Christus dicitur *elegisse duodecim Apostolos*, vel ad prærogativam aliquam & dignitatem, seu eminentiam supra alium, sine omni tamen exclusione ab æterna salute, ejusdem, qui ita non dicitur electus. *Rom. IX. 11. ut secundum electionem propositum DEI maneret, dictum est vers. 12. major serviet minori &c.* II. Prout significat Electionem ad gratiam Evangelicam, quâ Deus aliquem populum hinc & nunc, dicitur vocare ad Ecclesiam, eumq; sic, quasi eximendo à reliquis gentibus, admittit ad participationem singularium illorum beneficiorum, quæ in Evangelio comprehensa sunt. Ut *Deut. VII. 6. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei Populus peculiaris, & Psal. CXLVII. 19. 20. Qui annunciat verbum suum Jacob. statuta & judicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi.* III. Deniq; sumitur propriè, & in significatione (ut dici solet) specialissimâ pro Electione fidelium perseverantium, ad æternam gloriam, factâ antequàm mundi fundamenta jacerentur; hanc igitur, tanquam unicam Electionis propriè dictæ speciem, agnoscimus, unâ cum form. concord. juxta seriem librorum nostrorum Symbolicorum pag. 798. Quamvis enim frequenter distinguant Theologi quidam, tum orthodoxi, tum heterodoxi, inter Electionem ad gratiam; & inter Electionem ad gloriam, utanturq; parte utrâvis, tamen Electio ad gratiam impropriè dicitur. Propriè dicta enim Electio duos includit terminos, videlicet: à quo, misericordiam & *εὐδοκίαν* DEI: & ad quem, vitam æternam: unde, non rectè dicitur, nos esse electos ad gratiam, vel redemptionem; sed ex gratia, per meritum Redemptionis, ad vitam æternam.

§. 17. Hoc igitur est, quod nunc contendimus; *an videlicet Electionem hanc ad gloriam, seu vitam æternam; meritum & satisfactio Christi, in mente divina præcesserit?* ita, ut ante repræsentationem, acceptationem, &, ut ita dicam, acquiescentiam sufficientissimæ solutionis, Deus, nullum decretum fecerit

fecerit eripiendi quosdam ex communi illa corruptionis massa, eosdemq; tanquam finaliter perseveraturos, hæredes gloriæ cœlestis, constituendi. Ubi *notandum*, concedere nos facile: quòd affectus ille generalis & voluntas antecedens, contradistincta tamen quodammodò voluntati illi antecedenti, quam merito Christi subordinare solemus in gratiosa omnium hominum vocatione, voluntas, inquam, illa generalis reparandi & salvandi homines in lapsu Adæ communiter constitutos, in signo rationis divinæ ante veritatem seu Decretum de dando mediatore Christo. Affectus enim iste, & universalis Dei benevolentia, fons quasi est, origo, ac prima causa, quæ & missionem Filii Dei, ejusdemq; incarnationem, ac simul omnia media, quibus salus in Adamo amissa repararetur, ordinavit; quod clarissimè docetur *Joh. III. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum &c.* Et hætenus, amor iste est absolutus, hoc est: pronus in omnes homines, ex solo benevolo Dei placito. Cur enim Deus homines redimi & illis mediatorem constituere voluerit? alia causa dari & excogitari non potest, quàm, quòd ita ipsi placuerit: Vid. *Magnif. & Excell. Dn. D. Hülfeman. auxil. gratiæ disp. I. cap. 3. Thes. 1. seq. p. 41.* Auditur quidem sæpiùs; Deum permotum fuisse communi hominum miseriâ: sed enim, si illud non liberrimè, ita, ut etiam omitti poterat, factum; quæram ego; cur non similiter permotus Angelorum lapsorum miseriâ? par ratio; si non major. Angeli enim statim post suam defectionem, cruciatum in inferno experiebantur consummatissimum, homines (ut in Adamo Exemplum) necdùm: illud verò, quòd Adam ante promulgationem protævangeli, & simul hodiè reprobi, non statim luant æternam pœnam, merito Christi non est transcribendum: Ita enim fuisset; quamvis Christus nunquam venisset in mundum. Nam scriptura dicit; *in Adamo peccasse omnes homines Rom. V. 12.* at peccare non potuissent, nisi aliquando futuri fuissent, futuri a. fuissent sine Dei gratia, sine Christo. *Dices, Angelos majorè perdidisse perfectionem, majorem quoq; habuisse facultatem standi in veritate. Joh. VIII. 44. servandi domicilium suum. Judæ vers. 6.*

vers. 6. Atq; homo primus. Resp. Homo etiam debitâ perfectione ac sufficienti servandi statum suum virtute præditus fuerat. Et quicquid tandem sit, æquè nihil debuit DEUS hominibus; atq; Dæmonibus: illis tamen, & non his, se debitorem quasi fecit, tantùm ex liberrimo suo ac simplicissimo arbitrato.

§. 18. Veruntamen, gratiâ hâc simplici, absolutô item & universali DEI affectu, quô omnes homines ex æquo complectebatur, non absolvebatur decretum Electionis, de quibusdam tantùm iisq; singularibus Personis, statutum. Quia, I. tota satisfactio & propitiatio Messæ fuisset inanis prorsus ac inutilis; neq; enim potest, neq; necessum habet, reconciliari ac propitius reddi, is, qui jam antè singulariter, & summo ac immutabili amore aliquem diligit ad vitam. Videamus autem nunc, an Adversarii totum meritum Christi, inutile reddant? Certè in hoc amore antecedaneo & quidem singulari fundant ipsum decretum Electionis hominum ad vitam æternam, & ex illo primo decreto, veluti ex prima sui scaturigine deducunt demùm sequens decretum DEI: de Christo, in mediatorem & salutis datorem constituendo. Secundò, quia ille amor DEI, ex quo resultabat missio Filii DEI, ut nostrates solidissimè passim probârunt, est omnium hominum, quos æqualiter ne unô quidem exceptô respicit; omnes enim illi cum Adamo jam ut lapsi, in mente divina considerabantur ab æterno; & si ille amor est omnium hominum, sanè, non tantùm omnes omninò redimendi, sed & salvandi ac eligendi fuissent; effectus enim immediatè promanans ex motivo & impulsu universali, communi scil. omnium hominum miseria, item ex liberrima ac universali DEI misericordia & affectu, non potest etiam non esse universalis; effectus autem ille, secundùm Adversarios nostros, est ipsissimum Electionis decretum. At non putârim universalem Electionem ab ipsis concessum iri, quod tamen hætenus apertè collegimus ex ipsorum mente.

§. 19. Porro, ut ordo decretorum divinorum, circa diversos hominis status, eò meliùs innotescere possit, de eo quoq;, secundùm Scripturæ sacre tenorem aliquid dicemus.

C

Primum

Primum igitur potentissimus & sapientissimus DEUS; majestate, bonitate & magnitudine virtutis suæ contentus ab æterno; non indigus ullius perfectionis, vel gloriæ, vel laudis; ex mera benignitate sua constituit ab æterno, creare hominem in tempore, ad imaginem & similitudinem suam. Hâc fine tantum, ut esset aliquis, à quo bonitas ejusdem amplissima agnosceretur & celebraretur; quiq; tandem cum ipso perpetuâ frueretur beatitudine. Cùm verò homo, ad imaginem DEI creandus esset, non poterat esse mancipium; sed liberrima DEI creatura; Ita, ut posset benè agere tantum, si vellet; posset tamen simul etiam malè agere, relictò bonò, si vellet. Quamvis verò ex naturali rationis suæ dictamine, DEO suo summè obediendum esse cognosceret abundè; nihilominus tamen acceperat præceptum quoq; positivum: de non comedendo ex fructu arboris scientiæ boni & mali; hâc lege: ut quâcunq; die comederet, morte moreretur cum tota posteritate sua. Atquè sic in mente divina primus homo jam creatus, & usq; ad interminationem transgressionis præcepti traductus, habebatur. Tùm verò per infinitam suam omniscientiam prævidit, DEUS, hominem unà cum suis posteris, qui in lumbis ejus erant, lapsurum, & sese à conditore suo prorsus aversum. Et iterum hanc ruinam justò suò judiciò permittere decrevit, DEUS justissimus. Hærent igitur jam & volutantur, cùm Adam, tum filii ejus omnes, in corrupta illa & peccaminosa massa, obruti æternis cruciatibus & doloribus inferni. DEUS tamen non maturat, judiciali sententiâ suâ æternæ morti & damnationi, quam meruerat, devovere Adamum; sed versatur adhuc misericordiâ suâ quadantenus circa eundem; unde desiderat & plenè cupit totum genus humanum reparari; Quia verò id fieri non poterat, antequàm justitiæ suæ admodum læsæ, exactissimè satis fieret; liberrimè iterum de filio suo, pro Redemptione generis humani, quod perierat, in carnem mittendo; decretum facit. Et hucusq; hæc quasi tria decreta; *de creatione hominis: de permissione lapsûs: & de Redemptione ejusdem*, an, & per quem illa fieri deberet, sunt absoluta, hoc est: soli liberrimo & simplicissimo misericordiæ divinæ beneplacito adscribenda;

bēnda; quæ omnia, uti Deus facere poterat, itā etiam prætermittere. Illud verò *quartò*, non poterat non decernere, ut beneficia illa, quæ sufficientissimò meriti & satisfactionis Christi pretiò empta & parta sunt, toti mundo, per Evangelii prædicationem, annunciari curaret & offerri; hanc enim gratiosam divinæ voluntatis annunciationem & oblationem, Christus, omnibus omninò Adami posteris coëmerat quasi hætenus: ut quanquam absq; ullo fidelitatis, aut infidelitatis respectu redempti essent, fructum tamen Redemptionis, i.e. vitam æternam non nisi *fide* (quam Spiritus S. per verbum jamjam daturus erat) meritum & satisfactionem Christi *apprehendente* & finaliter *applicante*, omnes consequerentur. Et hæc est illa voluntas Dei *antecedens & misericors*, quā desiderat & promoveri cupit omnium hominum salutem, & contradistincta illi voluntati antecedenti, quā desiderasse concipitur, Deus, humani generis reparationem. Tandem verò, cum ferè omnium ultimò prævidisset, quosdam, per illud suum verbum, efficaciam Spiritus S. *credituros*, quosdam item sponte propriam contumaciter ac pertinaciter *incredulos mansuros*, tum *voluntate consequente & judiciaria*: non *absolutè* tamen, sed *ordinatè*, h. e. sub prævisa mediorum salutis admissione, ex una; parte verò ab altera, rejectione finali; quasdam & singulares personas ad vitam æternam elegit, quasdam verò in peccatis suis, quæ, damnatio ipsa naturaliter sequitur, ante jacta mundi fundamenta, justo suo judiciò reliquit & reprobavit. *Et de hoc ipso Electionis ac reprobationis decreto impræsentiarum solliciti sumus.*

§. 20. Quanquam autem decreta divina, hætenus à nobis in classes quasi distinctas disposita, sint unus, æternus & simplicissimus Dei conceptus: imò, si omnes omninò relationes ad extra in Deo removere velis, ipsissima Dei essentia; nobis tamen ordo quispiam secundum Scripturæ sacræ cursum constituendus erat. Equidem in Deo nihil horum, aut prius est, aut posterius, sed omnia, ut æternum, ita quoq; unum ac indivisum *viv*, abscondens sese in simplicissimo, cum voluntatis, tum intuitus divini actu, quò omnia, quæ futura erant in tempore, ab æterno voluit: aut saltem eventura, perspicacissimè

ciffimè prævidit. At verò nos pro nostro imperfecto concipiendi modo diversa propemodùm divinæ naturæ momenta, per totidem rationis nostræ (ut vocant) *instantia*, sine ordine temporis, aut rerum seu decretorum ipsorum in re concepta, *existentia*, concipere oportet; quantum quidem, *in hoc arcano*, Scriptura sacra nostros intelligendi actus fundare videtur. Propterea, cum in Thesi nostra pridem adscripta, de præcedentia quoq; (venia sit verbo) decretorum divinorum mentionem fecerimus, id, non ita intelligendum est, ac si Deus alio atq; alio actu ab æterno statuerit, aliud atq; aliud; sed quòd eò modò, eò ordine, ex toto Scripturæ sacre processu sese necessariò habere debebant decreta divina, *Ita*, ut hoc fuisset priùs statutum, (Redemptio) illud posteriùs, (Electio hominum) si per impossibile, simplicissimus decernendi actus in DEO multiplicari potuisset.

KATA ΣΚΕΤΗ.

§. 21. Probanda nunc venit utraq; pars thesios nostræ; quarum prima est: *Causam Electionis meritoriam esse Jesum Christum*. Et hoc ipsum cum primis, unicò saltem argumentò confirmatum dabimus, ut pondere potiùs, quàm numerò rationum, vel propter chartæ angustiam, pugnare videamur; Esto igitur illud nostrum argumentum ex cap. I. Ephes. v. 3. sequi: ubi genuina sedes hujus Articuli est, h. m. *Quicumq; est Is, in quo I. Deus Pater elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati. II. per quem prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis sue. III. in quo, tanquam in dilecto suo gratificavit nos & dilectos reddidit sibi ipsi. IV. in quo benedixit nos Deus Pater, in omni benedictione Spirituali in cælestibus. V. in quo deniq; habemus redemptionem, per sanguinem ejus, & remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ DEI Patris &c. Ille ipse, æterno Electionis decreto, tanquam causa meritoria includitur. Atqui Christus est is, in quo elegit nos Deus Pater ante constitutionem &c.* Minor, totidem verbis habetur in textu. In majori autem proposit. membra omnia loca Subjecti posita, conjunctim accipimus, & probamus eandem eò faciliùs, quòd fateantur Adversarii nostri hòc locò

locò agi, de Electione propriè dicta. Remonstrantes enim modò refutare non licet, qui ex citato Apostoli dicto, tantummodò Electionem ad gratiam Evangelicam deducere videntur. decl. Art. 1. p. 1. Proinde, urgemus primò particularum istarum: *ἐν αὐτῷ in ipso elegit nos; Ἀλλ' ἰν' οὗ ἡμεῖς per Jesum Christum predestinavit nos; ἐν ᾧ in quo habemus redemptionem; Ἀλλ' ἡμεῖς αἰματι αὐτοῦ per sanguinem ipsius; ἐν τῷ ἡγαπημένῳ in quo dilecto nos gratificavit*, urgemus, inquam, particul. istarum vim, atq; naturam, ad hoc, ut necessariò involvant Christum in æternum decretum Electionis, tanquàm unicam ejusdem meritoriam causam. Quæ voces v. c. *in ipso, per ipsum &c.* quamvis in sono discrepent; sensum tamen omninò eundem habent; quodocunq; in Scriptura usurpantur de Christo, in quantum *Is*, causa meritoria Electionis ac justificationis hominum, constituitur. Quando enim spectatur, ut causa efficiens principalis & quidem primoprime Electionis, aliò modò loquitur Scriptura de Christo: Joh. XV. 19. *elegi vos de mundo*, inquit ipse. XIII. 18. *Ego scio quos elegerim.* Videre igitur est, quòd partic. istæ statim enumeratæ, ex phrasologia Spiritus S. necessariò & evidenter involvant meritum & satisfactionem Christi, ejusdemq; simul prævisionem & præsentationem, in peremptorium ac immutabile Electionis decretum; At prævisio illa, propositum meriti Christi, & ut ita dicam, præexistentia in signo rationis DEI, jam jam de salute hominum, decretum facturi, nobis in hac causa sufficit. Si verò adhuc mordicùs instet Adversarius, videat modò *ψ. 4. cap. cit.* in quo; in charitate mutua, & per charitatem, fidem nostram invicem declarare dicimur. Ubi profectò charitas nostra priùs existere & priùs concipi debet, quàm in ea & per eam demonstratio & declaratio fidei fieri possit; pari ratione necessum est, ut præsupponatur, existere *meritum Christi*, vel in re ipsa, vel in conceptu divino saltem, quod volumus; antequàm *in ipso, per ipsum, propter ipsum &c.* fiat electio & benedictio hominum. *Secundò* illud quoquè addere possumus; quòd dictæ particulæ; *in hoc, in isto, per illud &c.* actioni cuidam, adjectæ, semper inferant rationem medii, & cum eadem

actionē, cui, in specificatione & exercitio quasi adduntur, necessariam conjunctionem; quantum quidem ad hunc determinatum numerō effectum, qui per illam actionem elici ac produci debebat; quod infinitis tum Scripturæ, tum naturæ exemplis docere possemus. Et hīc aperta est res: *Electio hominum facta est in Christo, per Christum, propter Christum*, dicente Scripturā. Ergō, non *ante Christum*, non *sine Christo*, ut placeat Adversariis. Atq; hæc in genere propemodūm, pro confirmatione majoris propos. nostræ, allegata sufficient.

§. 22. Nunc transimus ad singula ejusdem propositionis membra. Quantum verò ad primum: *in quo nos electi sumus, ut Redemptore &c.* Finge modò, ejusdem meritum non involvi in decreto Electionis; certè, inde palàm sequetur correctio lingvæ Spiritūs S. nos nimirūm: *non in Christo Redemptore electos esse; sed extra Christum, sed sine Christo.* Et si sine Christo sumus electi à DEO Patre, consequenter summoperè dilecti sumus ab eodem, sine Christo. At verò DEO Patri summoperè dilectus, nemo potest esse, nisi idem simul sit sanctus & immaculatus, seu formaliter & inhæsiivè, sive imputativè & appropriativè. Summè enim DEO dilectum esse; est, *aut beatificā illius visione in cœlis frui, aut saltem ad eandem, immutabiliter prædestinari ac designari.* Cūm a. *nihil coinquinatum intrare possit in regnum cœlorum* Apoc. XXI. §. ult. Ergō etiam *nihil coinquinatum, peremptoriè & invariabilier ad cœlestem gloriam eligi potest.* Sed nunc, *juxta Adversarios*, omnes Electi, etiam quā Electi sunt, erant turpissimi, & omni scelerum genere coinquinatissimi peccatores. Nec poterant non esse tales. Nam Christus, puritas illa & justitia Electorum fidelium, demūm, venturus & moriturus esse, decernebatur. Et *aliàs*, quod jam toties diximus, impossibile est, ut DEUS, mens illa purissima, sanctissima & justissima, quempiam eorum, qui sunt enormes peccatores, ad vitam æternam directè & immediatè diligere possit; nisi prius rigori justitiæ suæ satisfactum fuerit plenissimè; non potest enim DEUS non punire, ob offensam sui infinitam, infinitā & æternā poenā, peccatorem. Siquidem justitia vindicativa, est ipsius naturale atq; essentialē attributum: &

propter-

propterea nullum peccatum potest dimittere inultum, Pro-
verb. XVII. 15. *Abominatio est coram DEO, quisquis absolvit im-
pium, & condemnat justum. Adde insuper, quòd Electio & salus
hominum pari passu ambulent; ac proinde, si sine Christo
facta est Electio, si non promeruit eandem Christus à Patre;
profectò nequè salutem ullius promeruit. Nam si salutem pro-
meruisset Electis, utiquè prius, cum Patrem, tum seipsum, ut
purè Deum, reconciliaffet Electis. At divinitas, per Christum
reconciliari non poterat Electis, ex tua sententia. Cur? quia
eos amabat eò ipsò, quòd elegerit, in hæredes vitæ æternæ.
Reconciliatio enim nihil aliud est, quàm restitutio in alicujus favo-
rem & amorem, quò antè excideras. Ex his igitur ipsis per te
conficitur, totam satisfactionem & meritum Christi, hoc solùm
esse; quòd teneatur Christus, salutem, sine ipso Electis desti-
natam, omninò reddere; quia ad hoc ordinatus est à Patre.
Bellè sanè? Per II. membrum, idem nunc manet absurdum,
quod per prius; Etenim, si homines quidam prædestinati
sunt, in adoptionem filiorum DEI & DEO dilecti reddidi, sine
Christo, ut mediatore, (quod semper notandum) neminem
certè Patri ac sibi simul reconciliavit Christus; neminem item
in foedus divinum, à quo exulabamus, reduxit, quod tamen
tantoperè, de Messia Christo, Scriptura S. prædicat. Idem habend-
um de membro etiam III. Ad IV. verò & V. ejusdem proposit.
maj. membra, scilicet: *causam meritoriam Electionis, Eundem
esse, in quo sumus benedicti, & per cujus sanguinem redempti;*
hoc tantùm addimus, 1. quòd omnis benedictio spiritualis
nobis data est, non nisi per meritum Christi, concedentibus
etiam Advers. Atqui, electio quoq; est benedictio spiritualis.
Ergò. 2. Quia aliàs sequeretur, eos, quibus, sine redemptione
Christi ab æterno decreta erat salus æterna, conferenda in
tempore, esse prorsus liberos & immutabiliter exemptos à
pœnis infernalibus; quippe horum unum, necessariò tollit
alterum, videlicet: *obnoxium pœnæ infernali, non esse Electum:
& Electum peremptoriè, liberum esse ab omni dolore inferni.* Dic
igitur, quæso, quorum, & ex quo malo erit Redemptor noster,
Christus, qui proprio sanguine dicitur acquisivisse Ecclesiam DEI,
A&.*

Act. XX. 27. namque, ex immutabilitate absoluti decreti divini, quod fingunt adversarii, Electi, omninò sunt hæredes futuri vitæ æternæ; Et positò, quod impossibile non est, si absolutum jus DEI spectes, stante jam hòc Decretò Electionis; Christum tamen nunquam venturum fuisse in carnem, Electi ex tua mente, nihilominus salvari debebant: ideò, quia Electi erant in salutem, sine Redemptore & Mediatore Christo. Sed enim Scriptura S. dicit, *venisse Christum in redemptionem humani generis*. Unde a. redemit? num à morte corporali? Sed statutum est; semel omnes mori: num à morte Spirituali? Ita est. Atqui mors spiritualis, est ipse infernus. Dic igitur, quæso, quosnam ex tua sententia redemerit Christus à cruciatibus inferni? non dices, *reprobos*; nam illi damnabuntur omnes; sed *electos*, quibus salutem promeruerit & quorum caput ac fundamentum constitutus sit Christus, tanquam medium, ad æternam beatitudinem solis Electis actu ipso conferendam, à DEO Patre ordinatum. Verumenimverò dico 1. Christo, ut Mediatori, nullò modò, nedum ut fundamento, ex tuis hypothesebus hominum salutem inniti. Nam ne electis quidem potuit ullò modò promereri salutem; sed eam necessariò teneatur conferre iis, ut antè diximus, quibus eadem sine ipso, multò antè destinata est à DEO Patre per simplex, absolutum & merum beneplacitum. Ponitis enim Electionis decretum omnium primum, vel saltem decretò missionis & satisfactionis Christi omninò prius. 2. quòd hactenus quidem concesseritis communiter, meritum Christi resp. hominum esse particulare. Enimverò, quemadmodum jam vidimus, ex vestris hypothesebus necessariò sequi, fortè nullum mortis Christi meritum erit! Idem enim qualecunq; ac quantumcunq; fuerit, per vos tamen in mente divina non antecessit; sed longè demùm subsequēbatur salutem Electorum à DEO simpliciter & immutabiliter destinatam, quæ destinatio, ex mente vestra antevertit omne medium justificationis & salvationis: Christum, fidem & reliqua. Quæ omnia sunt *ἀντίθετα* Manet igitur; *in Christo & per Christum, ut causam meritoriam, æternum electionis decretum constitutum esse, quod erat demonstrandum.*

§. 23. Ut

1010 §. 23. Ut tamen habeant Reformati more omnium veri-
tatis hostium, quod contra nos & hunc clarum Scripturæ
textum, ex quo pridem argumentabamur, reponant, eorum
*aliqui dicunt, agi ibidem de Christo, ut is est causa mediorum sa-
lutis, seu executionis decreti Electionis.* Sed Resp. verum hoc qui-
dem etiam esse; sed non illud *exclusivè* intelligi potest, ac si
mediorum salutis tantum, & non etiam finis causa esse, ibi-
dem dicatur; nulla enim in loc. all. legitur vel exclusio finis,
vel mediorum & finis oppositio, unde verba Apostoli nec de-
bent, nec possunt *exclusivè* accipi; sed potius *inclusivè*. Siqui-
dem Christus & fides media quoq; sunt executionis decreti ab
æterno facti; sed non adæquata, nec eodem respectu; nam
accuratè loquendo satisfactio & meritum Christi, fides item
ex parte DEI, ut donum, tam latè patent, quàm salus ipsa
omnium hominum seriò à DEO intenta; executio autem par-
ticularis tantum quorundam hominum est. Deinde, in textu
nostro sermo est de omni benedictione spirituali *ψ. 3. Bene-
dictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos
in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* Jam verò
Electionem quoq; ad finem, seu salutem æternam, esse bene-
dictionem spiritualem, quæ in Christo nobis contigit, quis
dubitabit? *Deniq; clarissimè subjungitur ψ. 4. sicut elegit nos
in ipso ante constitutionem Mundi;* Unde hæc verba, non tan-
tum de Electione ad media (cui quidem copulant Christum,
etiam ipsi Adversarii) sed maximè de Electione ad finem, ex-
plicanda veniunt. Ideò etiam Apostolus *benedictionem* illam
implicità quasi oratione pulcherrimè deducit; *factam esse se-
cundum prævisionem DEI æternam.* Inquit enim, *benedixit nos,
sicut elegit &c.* quod idem expressè alibi scribit Petrus I.
Petr. I. 2. *Secundum præscientiam DEI Patris, in Christo factam
fuisse Electionem.* Alij ex Calvinianis, in Act. Remonst. l. c.
pag. 216. seq. fatentur expressè, in specie autem Maresius LL.
CC. IV. th. 41. Christum in dicto illo classico dici fundamen-
tum & fontem, si non Electionis, attamen salutis Electorum.
Et hinc etiam est, quòd nonnunquam orthodoxorum linguam
imitari videantur, in scriptis suis, dicentes: *in Christo factam*
D esse

esse Electionem ad salutem; sed enim, nequè hoc ipsum sequitur ex ipsorum propriis hypoth. quòd sit Christus fundamentum salutis, quemadmodum non indoctè urgentur à Remonstr. in Act. decl. Art. 1. p. 217. *Qui verè fundamentum salutis est, sine eò, non tantum non dabitur salus, sed sine eò, salus planè dari non potest.* Id enim fundamenti vox postulat, sine quo parietes & tecta consistere nequeunt. At verò sine Christo salutem dari posse ex sententia contra-Remonstrantium sic concluditur. *Qui potest velle & decernere peccatoribus salutem sine Christo, id est: citra ullum, in Jesu Christi satisfactionem & meritum, intuitum, ille potest dare sine eodem salutem illam, imò, quia dare potest, ideò prædestinat eam.* Hunc ferè in modum illi. Et certè absurdum esset, te prædestinare aliquid immutabiliter daturum Amico, citra illam conditionem, sine qua prorsus dare non posses. Atq; Deus potuit velle & decernere, imò, voluit & decrevit salutem sine Christo, absq; ullo in ejus meritum intuitu. Ergò Deus sine Christo & ejus merito potest dare salutem electis destinatam. Major est certa, minor ipsissima Reformatorum sententia, Concl. autem è diametro opposita antea allatae exceptioni, pro qua, hætenus dicta sufficiant.

§. 24. *Alteram fraus eorundem similiter adverti potest in eodem l. c. Remonstr. imò ex ipsorum Calvinianor. Act. Dordrech. Syn. part. 1. p. m. 538. & 552. & alibi passim, ubi non excludant Christum ab Electione, quin potius hunc, illum esse dicunt, per quem nos Pater elegit Joh. XIII. 18. Enimverò hòc ipsò nihil aliud volunt, quàm ingredi Christum Electionis decretum, eatenus solum, quàm unus est cum Patre & Spiritu S. DEUS, ut superius aliquando jam præoccupavimus hanc exceptionem. Concedunt enim referentibus, ex actis Coll. Hagien. Remonstrantibus: per Christum, quàm mediatorem, neminem esse Electum ad vitam æternam. Et quia hoc dissimularent nonnulli ex Reformatis, propterea sic ferè colligunt idem, Remonstrantes: Quia nimirum Christus, quàm Mediator ex sententia contra-Remonstr. subordinatur decreto primo Electionis ad salutem, destinatam absolutè & cõmunicandam Electis, Ea propter decretum absolutum de sine, Is, (Christus scilicet) qui in decreto de me-*

de medijs ad salutem, locum tantum habet, ingredi non potest. Palam igitur est, quando dicunt cum Scriptura: per Christum nos elegit Deus, quod considerent Christum, ut DEUM purum, per quem nos electi sumus, imò, qui ipse nos elegerit; quem admodum Eosdem quondam in disp. respondisse, sæpius nominati Remonstrantes docent. Quorum testimonijs eò libentius utimur, quod communem Reformatorum oppugnent sententiam, cujus ipsi quoq; antea & perspicacissimi & tenacissimi fuerant; oppugnent verò eò locò & tempore, in quibus fraudi ac dolo nullus planè relinquebatur locus. Itaque si hac ratione tantum, uti visum jam est, includitur Christus Electioni, certè neq; Spiritus S. excludetur, quid igitur vetat, quominus dicere possint Reformati: nos per Spiritum S. & in Spiritu S. electos esse similiter, si tam familiare ipsis est, verbum DEI ad placitum suum interpretari, ne dicam torquere.

§. 25. Nunc accedamus etiam ad alteram thes. nostræ partem, quàm brevissimè probandam. Erat autem illa: quod satisfactio & meritum Christi, in mente divina præcesserit æternum prædestinationis decretum. Ubi quidem ex hætenus disputatis, præprimis urgere possemus naturalem causarum cujusvis rei ordinem, qui est: ut efficiens, qualis meritoria quoq; est, semper prius existere debeat aut tempore, aut natura saltem; atque causa formalis & materialis. Eò autem nunc relicto, suppeditat nobis totum ferè Syllogism. *Maxim. ille Theol. Excellent. Dn. D. Hülfem. Brev. sui theol. c. 15. thes. II. p. m. 240.* hæc serie: *Quocumq; ordine Deus reparationem hominis exequitur in tempore, eò non solum decrevit exequi; sed credendum quoq; est, quod eodem ordine causalitatis, decreta de reparatione hominis ab æterno formaverit.* Atq; Deus reparationem hominis eò ordine exequitur; ut gratiam suam per meritum Christi nobis partam, in prædicatione Evangelii omnibus offerri curet, obediens, per gratiosam Spiritus S. œconomiam regeneret, justificet ac sanctificet. Eosdem deniq; finaliter perseverantes salvet. Inobedientes autem & contumaces in damnatione ac peccatis suis, ex quibus propriâ culpâ eluctari volebant, justò judiciò deserat. Ergò, juxta hunc ordinem,

D 2

decretum

decretum quoq; Electionis, quæ terminatur in quorundam salute, reprobationis item, quæ respicit quorundam damnationem, DEUS ab æterno statuit & sapientissimè ordinavit. Ergò, satisfactio & meritum Christi, rigori justitiæ divinæ à toto genere humano offensæ adæquatum, ac universale, in signo rationis divinæ antecessit profundissimum illud decretum Electionis hominum ad gloriam. Minor est certis: Major prob. *Quia aliunde nobis non constat, quem ordinem actus purus mentis æterna, juxta signa & instantia conceptûs nostri, servaverit, nisi ex serie executionis, quæ in tempore fit.* Nemo etiam prudenter negare potest, inter decretum ipsum; & ejusdem executionem, verissimam dari harmoniam, quamvis, non quoad modum; tamen quoad rem ipsam. Si non quoad causarum statum, tamen quoad causas ipsas, ut quidè de hoc eruditissimè discurret *Excell. Dn. D. noster Deutschman. disp. I. superior. Annis habita de Prædest. tb. 34.* Amplius verò ut procedamus, urgere possumus, paritatem reliquorum quoq; decretorum divinorum, de quorum ordine æterno, itidem ex eorundem executione tantum, certi sumus. Quid enim e. g. *de ordine qualitate & mediis passionis dominicæ decrevisset DEUS, apparuit ex processu & consilio DEI descripto, & in tempore adimpleto, Luc. XXII. 22. 37.* quæ prolix. vid. possunt ap. supra laudatum Dn. D. Hülsem. l. c. Atq; hæc omnia, plana quidem sunt. Verumenimverò, Reformati non metiuntur ordinem decretorum divinorum, ex manifestatione per scripturam factâ. Ideò, nescio quorsum recurrunt? ad occultum & absconditum DEI consilium; forsân DEUM quoq; occultum. Sit igitur occultum & absconditum illud DEI consilium ac decretum. At, unde nam ipsi didicerint? non immeritò quæremus? Proferatur fundamentum. Aliàs enim quia occultum est, semper manebit suspectum. Hactenùs certè quicquid dixerunt, vacillat & suâ sponte ruit. Nec putent rem istam parvi esse momenti. Tametsi enim non naturæ ac temporis, sed rationis tantum ordinem, in mente divina, juxta nostrû concipiendi modum quæramus, firmissima tamen fundamenta præstò sint oportet, ut nec fallamur, nec fallamus, cum primis, ubicunq; ardua DEI ipsius, & non nostra, causa agitur.

§. 26. Ni-

§. 26. Nihilominus tamen, ne tanta ordinis decretorum
divinorum *structura* (de qua §. 4.) in contrarium *nostra*, ab
Adversariis, hinc, inde conquisitis rationibus, veris vel falsis
adificata, conflata potius, sine omni veritatis specie simplicio-
ribus obtrudatur; urgent sapientum consilia, quibus par sit,
primò rei finem præfigere ac intendere, postea autem cogitare de
mediis ad illum finem ducentibus. Unde etiam illud practicum
axioma habeat originem: *finis prior est in intentione, ultimus*
verò in executione. At Christus, *inquiunt*, est medium tantum
salutis Electorum. Ergò illam, salutem nempe Electorum prius
intendit Deus, quàm Christum mittendum. In forma autem
sic arg. possent. *Quicquid est finis divini Electionis decreti, il-*
lud prius est in intentione DEI & destinatione, quàm media ad
ipsum finem ducentia. Atqui, decreti Electionis finis, est ipsa Electro-
rum *salus omninò futura.* Ergò, eadem salus quoq; prior est in
intentione & destinatione DEI, quàm media: (meritum scilicet
Christi & fides ipsum meritum apprehendens) *ad finem, seu sa-*
lutem dirigentia ac perducentia. Minor est certa, major verò
probatur: Quia sapiens prius intendit finem, quàm media.
Deus autem nunc est agens, ut potentissimum, ita etiam sa-
pientissimum. Resp. operæ pretium utiq; fuisset, si ex Scri-
ptura, aut ratione in Scriptura fundatâ, suam sententiam pro-
bandam esse cogitassent *Adversarij.* Non verò ex aliquo canone
philosophico merè, hoc est: particulari tantum, qui nec di-
vinas, nec humanas omnes sub se complectatur actiones.
Idem tamen valet alicubi in humanis exinde. *Quia enim in*
humanis consiliis & actionibus, & notitia finis dubia ac incerta est,
& potentia illum ipsum finem assequendi finita, hinc fit, ut primùm
certus finis præfigatur, deinde suscipiatur cogitatio de mediis, ad
finem intentum conducentibus, quâ de causâ (verba sunt Plur.
Rever. & Excell. Dn. D. Hülsem. brev. Theol. cap. 15. th. 3.) *Is*
finis maximè eligitur ab homine, qui desiderio ipsius probabiliter est
convenientissimus, qui assécutione est facilimus, & opinione certis-
simè obtinendus: Eliguntur ejusmodi media, quæ magis probabile
est isthuc esse factura. Deus autem non potest frustrari sine suo, nec
falli circa concursum inferiorum causarum; quia per infinitam

omniscientiam suam praevidet omnes motus & facultates naturales
causarum inferiorum. Haecenus ille. Ex quibus apparet, malè
constitui paritatem inter consilia, actiones divinas; atque
humanas.

§. 27. Porro, aliquid de illo axioma dicemus: *Finis prior
in intentione, ultimus in executione*, ad quam scilicet pertinent
media. Verum est quidem semper in omni actione tali, in
qua inter finem & media est connexio necessaria atque indisso-
lubilis. Ibi enim adaequantur simul media ipsi fini, ita, ut per
illa, nec alius finis, nec plus aliquid circa finem obtineri po-
tuerit. At verò, ubi media sunt prorsus contingentia, & à li-
berate ejus subjecti, cui passio quaedam seu qualitas, per actio-
nem illam introduci debebat, suspensa, saepe fit, ut quod primò
intentum erat, non sit ultimum in executione. Hoc autem eve-
nit, quando cumque sapiens intendit finem certum, sub aliqua
conditione praestabili & non praestabili; qui quidem decreve-
rat hunc finem, non alià vià, quam per praestationem vel sal-
tem non rejectionem conditionis à se ipso electae & proposi-
tae, omninò obtinere. Si tamen non praestetur conditio, libe-
rum est ipsi finem illum intentum, missum facere & acquiesce-
re, vel aliam de novo agendi rationem inire. Exemplum ad-
ferunt Remonstr. l. saepius c. p. 255. *Exigit Magistratus à civi-
bus certa cujusdam legis obedientiam, hunc finem intendens, ut si
illi morem gerant, premio aliquò illos afficiat. Qui certè finis, in-
terveniente Civium inobedientia, ultimus in executione non erit,
sed poena potius, aut aliter cum illis civibus agendi occasionem ac-
cipiet Magistratus. Quae illi. Atque his in genere praemissis.
Distingv. maj. Quicquid est finis divini Electionis decreti, illud est
prius in intentione &c. quam media, si nimirum excogitari pos-
sunt adaequata, & adhuc finem solùm ducentia media. Et ita
conced. sin verò media ex accidenti & eventu tantum ita coar-
ctata sint, naturâ autem & efficaciam suâ amplius pateant, quam
finis obtentus, Neg. Min. etiam concedimus. Conclusio
emerget. Ergò, salus Electorum prior est in intentione & desti-
natione divina, quam media ad illam ducentia, scilicet; si dari
possint adaequata media & necessariò nexu cum fine illo con-
juncta*

juncta. Assignent igitur nunc nobis *Adversarij* talia media. Nam perinde mihi videtur esse: *Sive Deus medium perductivum ordinet tantum Electorum saluti adequatum, sive prius intendat eorundem immutabilem & invariabilem saluationem, antequam illud medium ordinet.* Res enim eodem redit, licet phrasēs discrepent. Sed enim hoc est *ῥῶτον ψῦδ* *Adversariorum*: meritum Christi & fidem naturā suā & ex intentione Dei, talia dona & media salutis esse, ut eadem nec potuerint prodesse, nec profuerint pluribus, quā, quibus illa ipsa, antequam, ex voluntate absoluta immutabiliter destinārat DEUS. Ideo, ut per eadem media, prius iterum absolutē destinātam assequerentur salutem. Unde autem hoc figmentum prodiit? Ex arcaana illa & ab omnibus hominibus abscondita DEI revelatione ac manifestatione. Contradictio! Tenet tamen. Nam nisi Spiritus S. & adeo tota S. S. Trinitas à Cap. III. Gen. 15. ubi protevangeliū promulgatum est, per omnes Patriarchas, Prophetas, Evangelistas & Apostolos, in Scripturis loquens, impiō ausu statuatur mendax, fallax & dolosus, aliud mente tenens, aliud ore proferens; Illusor & deceptor misellorum hominum; necessariò relinqueretur illud: quòd hæc media salutis: *Christus, verbum, Sacramenta &c.* talia ac tanta sint, ut per eadem ex intentione divina, eaq; seriā, totum genus humanum cum Adamo perditum ac mortuum, ut sanari, ita quoq; æternū salvari, & potuerit & debuerit, nisi maxima hominum pars *consilium DEI sprevisset, & se se Regno DEI judicasset indignam.* Conf. Luc. VII. 30. Act. XIII. 46. c. XVIII. 5. 6.

§. 28. Sic igitur, stantibus universalibus illis, & ad omnium hominum salutem sufficientibus & efficacibus mediis, *concedimus* facitè: esse aliquem finem à DEO præfixum, juxta signa rationis nostræ priorem Satisfactione & meritò Christi; sed nego, illum finem esse præcisè salutem Electis prædestinatam, & actu ipso omninò conferendam. Quamvis enim nemo unquam fuisset salvatus; tota tamen satisfactio Christi plenissimè sibi constitisset. Et nihilominus operata fuisset *αἰα παρολογία* seu in excusabilitatem, in omnibus hominibus, sicut hodiè in reprobis omnibus, ac cum primis, qui in externo
Eccle-

Ecclesiæ cœtū degunt. Cavere autem malle, simplicitate fidei contentus, ab hujusmodi curiosis speculationibus; nisi ab Adversariis quàm curiosissimis & præter omnem scripturam sapientibus extimularet ultrò. Illius igitur rei gratiâ, videtur nobis: *tres quasi fines* eosq; æternos, circa salutem generis humani procurandam assignari DEO posse. *Primò* enim cùm prævidisset hominem, in integritate quondam à se condendum, liberè lapsurum, statuit acutū, ipsi remedium quo quò modò parari, ex merâ benignitate suâ divinâ. Intenditq; simul, quantū essentialis ipsius justitia permisit, totam massam corruptam reformare, *hoc est*: Jus ad vitam æternam, quod Adam amiserat, eidem recuperare. Quia verò illud opus aggredi, DEUS, non poterat, (ut sæpiùs diximus) antequàm justitia & misericordia ejus, in eodem objecto reconciliarentur quasi, ex liberrimâ suâ voluntate decrevit; Filium suum in carnem mittendum; ut esset satisfactor divinæ justitiæ plenissimus pro omnibus omninò hominibus, sine ullo ullius meritò, opere aut etiam fide præsuppositâ. Atq; ita dicere possumus, inclinationem illam DEI, eò, ut intenderet hominem corruptum redintegrare, habere pro fine, *intentam salutis communis in Adamo amissæ restitutionem*. Et hoc, si tamen finis appellandus est; juxta Joh. III. 16. antecessit meritum Christi etiam prævisum resp. hominum, & hoc vel illo modo ab Adamo ejusq; posteris, tractandum. Rei natura illud suadet. Nam ex loco cit. datur nobis occasio concipiendi aliud quod momentum liberrimi amoris DEI in homines, quod momentum antevertit meritum Christi. Illius autem amoris divini scopus erat unicè, salus communis omnium hominum. Et huic scopo, ceu fini subordinabatur & planè adæquabatur missio & satisfactio Christi universalis. Sed, quia iste finis DEI per Christum jam obtentus, ita erat comparatus, ut tamen non impossibile fuerit vel omnes homines damnari, de eo non quarunt Adversarii. Errant autem in hoc quàm maximè, quòd finem missionis Christi, non faciant totius massæ humanæ reparationem. *Alter finis* DEI allegari potest, seria illa, post reconciliationem, omniū hominum salutis intentio & voluntas.

Non

Non tamen absoluta & peremptoria; sed conditionata, *hoc est*: certo mediorum ordini adstricta, quam voluntatem peperit nobis apud DEUM satisfactio & meritum Christi. Voluntas enim hæc adæquatè substratam sibi habet universalem satisfactionis Christi justitiam, quæ justitia voluntatem illam, tanquam effectum suum, in æterno DEI conceptu antecessit. Siquidem enim hic affectus DEI, amplissimus & benignissimus est, ab ipso, ut irato hominibus, provenire non potuit; sed ut placato & reconciliato *per Agnum illum occisum ab origine Mundi*. Atq; hæc vocatur aliàs ab orthodoxis, propriè voluntas DEI antecedens, revelata per universalem hominum vocationem & consolationem Evangelicam. Vides igitur (1.) totum pretium redemptionis humanæ, jam in æterno DEI intuitu existere. (2.) in eo fundari unicè, intentionem DEI omnibus hominibus sufficientia ad salutem media, subministrandi (3.) necdùm tamen apparere peremptorium illud & immutabile Electionis divinæ decretum. *Ultimus deniq; finis*, de quo etiam inter nos & Reformatos, potissimùm quæri videtur, est salus solis Electis destinata, in illo actuali & invariabili Electionis decreto; quò DEUS in præscientia sua falli nescius omnes eos & singulos, qui finaliter in Christum credituri erant, ab æterno prædestinavit, & in futuros Regni cœlestis hæredes obsignavit. Huic autem fini, *qui vis videt*, non subordinari, ut medium adæquatum; sed præcedere, tanquàm basin, fundamentum ac adeò unicam salutis omnium hominum meritoriam causam, universalem satisfactionem Christi. Unde relinquitur, *ipsum Christum esse meritoriam Electionis nostræ causam*.

ΘΕΣΙΣ II.

Electio eadem, ex parte hominum non est absoluta, sed certo ordini divino inclusa, procedens nimirum juxta fidem in Christum prævisam, quam DEUS in tempore, pertinaciter non repugnantibus, per gratiam Evangelicam introducturus erat.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. 29. Primò omnium, cum standum sit tandem (ne fiat progressus in infinitum) in aliquo primo ac summo principio,

E

EX

ex quo, tanquam origine ac fonte, sine ulla vel cogitabili conditione, indignis nobis ac perditis, salus in Adamo amissa recuperari cepit. Proinde, concedere possumus Adversariis; ex absoluto, simplici & causas omnes antegrediente voluntate DEI, profecta fuisse hæc omnia: Ut (1.) Redemptorem & Restauratorem humani generis constitueret aliquem. Poterat enim omnes in Adamo lapsos, unâ cum illo, sine omni spe veniæ in miseria & damnatione, uti Angelos, omninò relinquere (2.) quòd ὁ λόγος secunda SS. Trinit. Persona præcisè, & nō alia incarnari debuerit. Tametsi enim mediatorium inter DEUM & homines officium, DEUM prorsus ac hominem simul requireret. Hominem quidem, quia per passionem & mortem debebat fieri redemptio; DEUM verò, quia per illam mortem conculcandum erat caput serpentinum; ratio tamen hujus rei à priori, præter liberrimum DEI jus & arbitratum, nulla dari potest: quales quales interim convenientiæ, (ut ita dicam) à posteriori possint colligi, de quo vid. B. Chemnit. cap. II. de duab. nat. in Christo.

§. 30. Aliud autem est, quod inter nos & adversarios controvertitur: *an nimirum detur aliquod speciale & singulare Electionis ac reprobationis divina decretum, quod absolutum sit & liberum ab omni respectu, tum DEI Eligentis, tum hominis eligendi? Idemq; opponatur, tum conditionato, seu tale sit, quod omnem conditionem & qualitatem in homine excludat; tum ordinato, & hætenus dicatur absolutum; quòd sine ordine à DEO præscripto factum sit; qui ordo Christum cum merito suo, & fidem in eum collocatam, verbum deniq; & Sacramenta, quibus mediantibus DEUS nobis fidem, & Electionis beneficium conferre decrevit, respicit; Unde porrò, absolutum decretum illud dicatur; non quòd absolutum sit ab omni operum bonorum merito; hoc enim ambabus manibus concedimus; sed, quòd sine omni intuitu qualitatis activæ, aut passivæ, privativæ, aut positivæ, quæ in subjecto prædestinando in sit, aut futura sit per communem quandam gratiam, vel malitiam naturali pravitati superadditam, ex solo meroquè DEI beneplacito, factum sit, declarante, in lect. nuper publicè habitis, Plurim.*

Rever.

Rever. atq; Excell. Dn. D. Joh. Meisnero. Ubi simul monet :
hoc decretum, merum quoq; ideò vocari; quòd non sit mixtum.
Inde autem non statim sequi, quòd sit absolutum, sic enim ex mera
quoq; & sola DEI misericordia justificamur; non tamen absoluta;
Ita, quamvis sine ullis nostris meritis, ex mero DEI bene-
placito facta sit Electio, illud tamen beneplacitum, ordinem
includit, quem DEUS cum ab æterno statuit, tum ab hominibus
in tempore observari voluit.

§. 31. Cæterum, cum jam de ordine isto divinitus san-
cito, & hominibus præscripto, constet abundè. Itemq; ultrò
pateat, *fidem hïc, non quâ actum, sed quâ prævisionem DEI in-*
telligi; ac deniq; eandem diversò respectu & causam, & ef-
fectum quodammodò, Electionis dici posse, ut superiori thesi
visum est; nunc lubet perspicaciùs inspicere, cur quidam sint
relictì in damnatione, quidam verò ad æternam gloriam electi sub
fide, cum fides sit ipsissimum DEI donum, quippe ad cujus re-
ceptionem nos nihil possumus conferre. Primum igitur, gra-
tiam, per meritum & satisfactionem Christi, partam toti Mun-
do in Evangelio prædicaturus erat Spiritus sanctus, per Pro-
phetas & Apostolos; & quamvis, non quâvis hominum ætate
ac seculorum periodò, publicum illud gratiæ Evangelicæ præ-
conium in iis locis præsertim, quæ jam ante restitissent Spiritui
sancto. Act. VII. 51. Ebr. X. 29. repetiturus; ex singulari ta-
men ac ultra super abundantia gratia sua, ab origine Mundi
semper, peculiarem sibi, in aliqua gente, conservaturus erat
Ecclesiam; ad quam omnes nationes terræ, solò instinctu na-
turæ, quòcunq; animò, ac desiderio, palpantes quasi, perve-
nire, & eadem cõmunicari poterant. Negari enim non potest,
citra injuriam in clarissima Scriptura s. testimonia: Omnes
gentes nosse aliquod Numen Sanctum, justum, bonum, omni-
potens &c. à quo videlicet sint omnia, & qui à nemine. Item,
illud Numen, propter multiplicia beneficia, summè coli &
honorari debere. Cum verò rationem honoris & cultûs Ejus-
dem prorsus ignorent, colligere: quia illud Numen est sanctum,
justum, bonum & misericors; nequè tamen ex naturæ lumine
cognosci possit, oportebat omninò seipsum alicui populo in
terris revelâsse. Ubi, si inquiratur inveniri debeat. Rom. I. 21.

Act. XVII. 27. Quam inquisitionem, cum plurimi negligent, *αἰαπολόγητοι* inexcusabiles, sponte propria perituri sunt. *Secundò*, totum illud verbum, quod omni homini prædicandum erat universaliter, & hodiè etiam in Ecclesia DEI personat, habet sibi adjunctam vim divinam, adeoq; ipsum Spiritum sanctum. Ita, ut isthoc verbum sive lectum, sive auditum, sive à pio sive ab impio homine, prolatum, primò omnium prodatur gratiam, quam vocamus prævenientem, cujus, si vel minimum punctum, ac momentum homo infidelis admittat, statim capax, & idoneus redditur ad subsequentes ac majores gratiæ gradus: fidem ipsam, adeoq; totum conversionis & justificationis opus, per Spiritum S. productum, salutariter admittendum, vel saltem non rejiciendum. *Hoc enim nunc ex benevola DEI promissione est in solidum, quòd non repugnanti malitiosè, augeatur gratia.* Nam ita DEUS decrevit, *ut habenti detur amplius.* Matth. XIII. 12. Ex quibus patet, quòd *Electio* tam latè se se extendat, atq; non rejectio petulans gratiæ vocationis, justificationis, sanctificationis & perseverantiæ, in tempore hominibus à DEO offerendæ; ubi Principem quasi agit fides in meritum Christi defixa finaliter. *Reprobatio* item tam latè se extendat, quàm *non inquisitio* salutaris mediis saltem *indirecta*, atq; adeò pura puta verbi divini privatio; vel non rejectio omnium gratiæ graduum, adeoq; ipsius fidei per verbum productæ, ad certum tempus; spontanea autem circa finem vitæ *excussio* & *incredulitas*.

§. 32. sed enim metuendum hinc nobis est utrinq; , ne inclinemus ad opinionem (ut antiquos Pelagianos taceam) *Scholasticorum* & *Synergistarum* nonnullorum, vires liberi arbitrii tantoperè deprædicantium; ut homo, solâ generali DEI gratiâ, quæ naturæ est, conversionem suam desiderare, operari & consummare possit; vel saltem vires suas insitas, propter lapsum Adami tantisper debilitatas & fractas habeat; ut gratiâ speciali præventus, excitatus, adjutus conversionem suam possit intendere; vel illam omittere, in eademq; producenda, atq; adeò perficienda Spiritui S. cooperari. Et ita homo propter hunc liberi sui arbitrii usum ab æterno prævisum, tanquam
meritum

meritum congrui, in signo rationis divinæ jam vocatus, sit Electus. Utrinq; ut dixi, metuendum; nam ex adverso Calviniani, hominem convertendum ita affici & præveniri dicunt gratiâ DEI, quanta quanta illa sit; *ut irresistibiliter ipsam, & cum ipsa Spiritum S. recipiat homo ille, cujus salutem seriò intendit Deus;* ac proinde homo non tantum sit purum putum subjectum passivum, in sui conversione; verum etiam ita patiatur, & subjiciatur divinæ operanti gratiæ, ut eidem nullò prorsus modò possit reluctari. Nostra igitur sententia, ut paucis dicam, hæc est: nemini gratiam conversionis exhiberi unquam sine verbo DEI, per quemcunq; tandem, ut olim sæpius vel à DEO ipso; vel per Angelos, & hodiè per hominum ministerium, prolato: Per verbum autem illud quòcunq; modò perceptum, tantum gratiæ cumprimis accipere hominem, ut per illam (homine quicquid faciente, ut mortuò naturaliter, prius, & solam operantem) possit Spiritui sancto, verbum suum jam jam ad salutare opus aptaturo, non reluctari, quæ non reluctancia & non rejectio mediorum salutis, sit communis effectus universalis gratiæ DEI, quæ etiam omnibus Auditoribus per verbum conferatur. Quamvis autem homo, in conversione sui & justificatione: de operibus enim sanctificationis nunc non loquimur, se merè passivè habeat; nullò modò tamen divinæ gratiæ irresistibiliter subjiciatur; Sed ita, ut possit spernere & abjicere verbum, conculcare margaritam, Spiritum sanctum blasphemare, & se se Regno DEI privare, per carnalia corruptissimæ suæ naturæ opera.

§. 33. Atq; hæc, si non præter rem, eò tantum modò dicere voluimus, ut Adversariorum sinistram de nobis opinionem detegeremus: ac si nos tribueremus aliquid viribus humanis, quas DEUS ex congruo respiciens ab æterno, secundum easdem, decretum Prædestinationis ordinarit; quod aliàs doctrinæ Pontificiorum, in hoc Articulo fidei, fundamentum est, quemadmodum irresistibilis gratiæ Calvinianorum basis, origo ac prima causa, absolutum Prædestinationis divinæ decretum. At verò, ut ne quispiam adhuc suspicari de nobis possit, ex antea dictis hoc etiam consequi videtur: quòd

in æterna DEI mente omnes homines, tam Electi, quam Re-
probi, pares hæcenus appareant, quòd æquè illi, atq; hi nul-
lum actum negativum, nedùm positivum vel amandi DEUM;
vel recipiendi gratiam illam primo-primam, elicere possit per
naturam; naturaliter enim homo non potest non actu positivò
repugnare DEO reparationem ejus aggredienti. Rom. VIII. 7.
Qægnua sapientia carnis inimica est DEO; & non reluctantia
illa, per primam gratiam homini introducta, nihil est aliud,
quàm inhibitio, seu negatio actualis repugnantia naturalis.
Disparis autem & inæquales redduntur eatenus I. quòd spe-
ctentur reprobi potissimùm, tanquam in tempore labi origi-
nali multa actualia quoq; peccata, scortationem, homicidium
furtum &c. superinducturi; à quibus tamen, quantum ad
substantiam actus, etiam per naturam abstinere poterant,
quod ex parte fecerunt Electi. II. quòd reprobi, aut non in-
quisiverint Ecclesiam DEI, in qua gratia conversionis offere-
batur per verbum, aut verò acceptam illam gratiam repudiâ-
rint. Electi verò non rejecerunt; sed recipientes eandem;
Spiritus sanctum, fidem vivam finaliter & perseveranter in
seipsis operaturum & conservaturum, non excusserunt. An
autem & quomodò excutiatur gratia divina in regenitis? de
eo vid. Magnif. & plurimùm Reverend. Dn. D. Præsidentem Syst.
Theologici Tom. I. pag. 1066. & 1084.

§. 34. Tandem verò, quia fidem requirebamus ad E-
lectionem, distingvendum est inter *causam Electionis*, ex parte
hominum *meritoriam*; & *inter id*, quod citra dignitatem, aut in-
dignitatem suam, spectatù, liberè à DEO assumitur in hominib9,
quod tamen non est ex hominibus: *sub quo, & per quod libuit*
DEO, cum justificationis, tum Salvationis gratiam nobis com-
municare. Atq; ad rem posterioris generis spectat fides, quam
in omnes homines introducturus erat DEUS per verbum &
Sacramenta, nisi à quibusdam rejectum fuisset salutare ejus
consilium. Et propterea non poterat introduci in quosdam,
quia non permittebant primum illum gratia prævenientis
motum, tollere in seipsis naturalem hostilitatem. Quamvis
autem actualem fidei prævisionem, in signo rationis divinæ an-
tecesse-

recesserit passiva illa capacitas subiecti prædestinandi, comparata per primum illum gratiæ tactum, quæ capacitas aliàs in Scholis dispositio negativa vocatur; tamē neq; illa ipsa est *meritoria causa*, aut ullo modo efficiens acquirenda, seu introducenda formæ accidentalis, qualis est: *prædestinatum esse*. Ut in Brev. sui cap. XV. th. 14. loquitur Dn. D. Hülsemannus. Nam hoc non ex merito ullius hominis; sed ex sola divina ordinatione est, ut non repugnanti malitiosè ultimus quasi conversionis terminus, vera nimirum ac viva fides in meritum Christi de fixa, contingat: quæ si perseverans sit, ex gratia divina Electionem inferat; sin minus, reprobationem. Nunquam tamen fides, sive spectetur absolutè, & ut actus quidam ac vera qualitas, sive relativè, & ut meritum Christi apprehendens ac applicans, causa meritoria est Electionis, ut nec justificationis; utrumq; enim hoc, bonum DEI est gratuitum. Et ideò tam constanter observat scriptura, ut nunquam dicat, nos Electos *esse propter fidem*, ne causalis aliquis influxus, vel dignitas meritoria inferri videatq; ; sed semper *per fidem*, tanquam medium ac instrumentum, per quod universa Christi justitia nobis in salutem exhibetur. Et quia hujus quoq; instrumenti, seu actus fiducialiter apprehendendi & applicandi meritum Christi, productio, conservatio & perseverantia in homine, à Spiritus S. gratiosa œconomia unicè dependet, rectissimè infert. Dn. D. Hülsemannus loco statim citato: *DEum in prædestinato nihil magis invenisse, quam obrem eum ad vitam eligeret, quàm in Reprobo, nisi quod ipse gratiâ suâ introducturus erat in prædestinandum*. Vid. hæc omnia, quàm prolixissimè apud B. Hutterum LL. CC. pag. 804. B. Gerh. LL. de Elect. & Reprob. c. IX. n. 175. B. Balduin. in Comm. supra Epistolas Pauli pag. 1229.

ΚΑΤΑΣΚΕΤΗ.

§. 34. Probanda igitur nunc restat Thesis nostra, quam hætenus explicuimus, nimirum: fidem hominum prævisam ingredi æternum Prædestinationis decretū, seu quod idem est: Electos nos esse intuitu fidei meritum Christi, in justificationem & salutem apprehendentis. Breves autem hac in parte quoquè, uti antea, ducemus lineas, allaturi iterum duo ad summum

summum argumenta, quorum primum producemus ex II. Thes. II. 13. *Elegit vos Deus ab initio, in salutem, in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis.* Conferatur I. Pet. I. 1. & 2. ubi expressè dicitur; *Electionem factam esse secundum præscientiam DEI Patris, in sanctificatione Spiritus, in obedientiam & asperersionem sanguinis Christi:* & ibi per obedientiam, B. Mentzerus Tom. I. Giff. disp. XIV. th. 141. rectissimè colligit, intelligi ipsam fidem ex Act. VI. 7. Rom. X. 16. II. Thes. I. 8. Ex quibus argumentamur. *Si electio facta est in fide veritatis, seu fide recipiente & appropriante homini meritum Christi, in sanctificatione Spiritus: Item, si secundum præscientiam DEI Patris, in fide facta est Electio, sequitur omninò, illam fidem inclusam fuisse Electionis decreto.* Atq; verum priùs. Ergò. Probo sequelam majoris: ex vi nativa, ac proprio significandi modo horum verborum: *in fide, in obedientia, secundum præscientiam fidei &c.* quæ certè juxta consuetum nostri intelligendi modum, alium conceptum menti nostræ indere non possunt, quàm, quòd includantur in illo decreto, quod in fide &c. factum esse dicitur. Et finge nunc Electionis decretum esse absolutum ab omni medio & ordine divino, eidem verò exequendæ tantùm, surrogatam fuisse certam mediorum *τὸ ζῆν*: Christum scilicet & fidem, ut somniant Adversarii, quorsum, quæso, ita diceret Apostolus? *in fide & secundum præscientiam fidei, electos nos esse ab initio.* Ego putârim, etiamsi per impossibile errarem, quâ apologiâ B. Lutherus, & B. Chemnitius in verbis Cœnæ Dominicæ de Sacr. Cœnæ cap. 7. utitur, inventurum me sufficientem excusationem coram tribunali DEI, quòd hòc modò, & non aliò intelligam verba Spiritûs S. suppositò, quòd DEUS nemini, aut possit, aut velit illudere, ac proinde ita locutus fuerit in negotio salutis, ut à quovis fidelium vera illius mens, in submissione Spiritus indagari possit. Et præprimis, ubi dicitur: *secundum præscientiam &c.* alium sensum illa verba habere non posse; præterquam, quòd DEUS præviderit ab æterno, meriti Christi & gratiæ divinæ, in Evangelio per Spiritus S. œconomiam oblata, magnitudinem ac bonitatem; quoniam hominum fuerint honoraturi, & in odorem vitæ æternæ ad-

admissuri; quinam verò illud ipsum ingens beneficium & The-
saurum, vel conculcaturi penitus, vel si ad tempus usi eòdem
fuerint, protervè demùm dilapidaturi; propterea etiam illos
elegerit ab æterno; hos autem reprobârit. Atq; hinc est,
quòd sanctificationi illi Spiritûs, seu sacro Evangelii ministe-
rio, tam pulchrè suum respondeat correlatum: vera nimirum
fides, quæ per Evangelium à Spiritu sancto in nobis accendi-
tur, uti ex textu Petrino res clarissima est.

§. 36. Excipient tamen Adversarii, per sanctificationem
Spiritûs, in locis citatis, notari inchoatam vitæ sanctitatem,
ob idq; magis salutis, quàm Electionis causas hîc enumerari.
Sed R. I. Causas Electionis & salutis nec alias, nec diversas esse
II. Verba illa: *per sanctificationem Spiritûs*, non referri ibidem ad
vocem salutis, sed ad vocè electionis. III. Omninò, per sanctifica-
tionem illam Spiritûs, non posse intelligi inchoatam vitæ sancti-
tatem, seu novam obedientiam, inde conficitur: quòd inchoata
& nova vitæ obedientia, nihil aliud sit, quàm bona opera, in
quibus post acceptam fidem salvificam, Filii DEI se se exercent.
At non putandum ipsos Calvinianos quoquè, sive Electionem,
sive salutem, quæ duo aliàs ipsi distingvere amant, operibus
bonis adscripturos. Manet igitur, per dictam sanctificatio-
nem Spiritûs, nihil aliud colligi posse, quàm gratiosam Spiri-
tûs S. operationem per verbum factam; quâ corda hominum
purgantur, in illis vera ac viva fides accenditur, confirmatur
& conservatur; ad quæ addimus etiam verba B. Mentzeri
l. cit. th. 143. seq. *Apostolicum pronunciatum est: Electi su-
mus per ministerium Evangelii & fidem in Christum. Unde illa in
Christum fides, dicitur fides Electorum Tit. I. 1. Quòd nimirum ve-
rà illâ fide sit ordinata filiorum Dei Electio. Ac proinde D. Aposto-
lus vocat se Apostolum Christi secundum fidem Electorum, & agni-
tionem veritatis, quæ secundum pietatem est.*

§. 37. Secundò argumentamur ex cap. XI. Ebræ. v. 6.
*Sine fide impossibile est placere DEO: Cuicunq; impossibile est pla-
cere aliquem hominum sine fide, ab eo simul, impossibile est,
eligi quenquam & immutabiliter destinari ad vitam æternam,
sine fide: cùm hic favor Dei summus omninò sit erga genus*

F

hu-

humanum. *Atqui Deo impossibile est aliquem hominum placere sine fide. Ergò, impossibile simul est, ab eo quenquam eligi sine fide, & immutabiliter destinari ad vitam aeternam.* Minor est Apostoli. Circa majorem autem hoc solum notamus, quod ibi placere dicatur aliquis DEO, non quocunque respectu, sed ita, ut DEUS velit ipsius salvationem actualem, adeoq; salvet eum; Propterea nihil ulterius probamus; res enim tota ex sequentibus Adversariorum exceptionibus plana fiet. Negant igitur illi majorem propositionem, & ut fundamentum monstrant, excipiunt duo postmodum circa vocabula: *fidei, & placere.* Circa primum: Sermonem esse Apostolo, non de fide prævifa, sed actuali, ac proinde neq; nos Lutheranos statuere, actualem fidem ingredi aeternum Electionis decretum. Resp. non abs re dicere Remonstrantes par II. Act. p. 211. seqq. *hære hinc aquam Contra-Remonstrantibus.* Sive enim sermo sit Apostolo, de fide actuali, sive de prævifa, affectum DEI erga homines, neutrum mutat. Etenim *ipsi* non est tempus futurum, vel præsens: sed omne; unum instans, unum punctum. Si igitur sine fide actuali, *ipsi* nemo potest hinc & nunc placere; Ergò etiam ab aeterno, quando concipimus DEUM de salute hominum decrevisse, nemo potuit ipsi placere sine fide. Dicit itaq; Apostolus: sine fide impossibile esse placere DEO, quomodo autem placere? eò nimirum, quomodo placere fideles omnes, in hoc capite recensiti; ac imprimis Enoch. *ψ. 7. præcedenti, ut dignaretur eum DEUS, ex gratia secundum promissionem, ut fidelem, in aeternam vitam transferre.* Et hæc fides, quâ actu salvatus est Enoch, ab aeterno à DEO fuit prævifa, eiq; intimè præsens: nec aliter, atq; hodiè, Electorum; Unde DEI prævifio ac præscientia non facit differre, aut aliam fidem, hanc, quâ actu salvatus est Enoch, & quæ prævifa erat ab aeterno, futura in Ipso, in tempore. Non enim intrinsecè afficit prævifio DEI fidem actualem; sed eam tantum denominat extrinsecè, quæ denominatio fundatur in virtute divinæ mentis penetrantissima; quâ id, quod aliquando secundum nos futurum est, ipse intuetur, tanquam præsens. Atq; ex his clarum est, quod nihil faciat ad fidei rationem & considerationem

re-

respektu DEI, licet illa sit præsens, vel futura: DEO enim, ut dixi, nihil est futurum; nec aliquis ex verè Calvinianis, quod sciam, negavit, DEO futura etiam intimè esse præsentia. Quicquid sit, esto nihilominus, agere hîc Apostolum de fide præsente; At verò tùm falsum diceret Apostolus, si quidem illud verum esset, quod necessario & evidentissime colligi potest, ex sententia Calvinianorum, hîc argumentò: *Quicumquè ante jacta Mundi fundamenta, DEO placent sine fide, illi etiam in tempore placent DEO sine fide.* Atq; omnes Electi (ex sententia Advers.) ante jacta Mundi fundamenta, placent DEO sine fide. Ergò omnes Electi, etiam in tempore placent DEO sine fide. Major claret; quia sequeretur aliàs, eum, qui ante jacta mundi fundamenta, ita placet DEO sine fide, ut ipsi æterna salus immutabiliter decernatur, eum, inquam, desinere in tempore DEO placere, antequàm credat; ac proinde DEI amorem respectu Electorum mutabilem esse, quod non concedit ipse Adversarius. Minor autem est Calvinianorum concessa hypothesis. Et conclusio apertè contradicit Apostolo, qui dicebat *impossibile esse, hominem placere DEO sine fide.* Concludimus igitur: *Sicut DEO nemo in tempore placet, ita, ut vitam æternam ei dare velit, nisi actu credat; eadem ratione, nemo placuit illi ab æterno, exclusâ fide, ita, ut ipsi vitam æternam invariabiliter decreverit.* Non enim aliter agit in tempore Deus, atq; decrevit, se acturum, ab æterno. Assignent disparitatem Adversarii. Nos sumus in causa, rimantes ac scrutantes decreta divina, ex verbo DEI revelato; non tacito, non abscondito.

§. 38. Alteram exceptionem faciunt, ad dictum Apostoli classicum, ex voce *placere*; & dicunt in Act. Remonstr. sæpiùs citatis: placere posse aliquem DEO, vel secundùm decretum DEI, quod quidem fieri potest sine accedente fide, vel secundò, placere ita DEO aliquem, quatenus jam actu favore DEI fruitur & in statum gratiæ deductus est, de quo ultimo agatur, in Apostoli effato. Resp. I. Si generaliter sumatur vox placere, concedimus homines sine fide, quòdam modò placuisse DEO. Nam stante tunc lapsu Adami, necdum verò

missione Redemptoris & satisfactoris decretâ, impossibile erat ullum hominem, sub quibus circumstantiis requirit Apostolus, crediturum fuisse, nedum credidisse. Attamen in illo quoq; æternitatis puncto, si conferantur homines cum dilectione illa DEI antecedente & universali Joh. III. 16. placent ei aliquo modo ac tantisper; ut DEUS desideret, velit & promoveat totius corruptæ massæ reparationem. Et negari non potest, quin sub illo generalissimo, ut ita dicam, DEI favore, de quo Apostolus Joh. mirabundus quasi loquitur, abscondere se se possit quædam (ut sic exprimam) placentia; benevolentix amorem diceret Maresius l. supra cit. contradistinctum amori complacentiæ; sed de hac impræsentiarum non est quæstio; *verum de ea placentia, quâ quispiam ita placet DEO, ut ipsi vitam æternam, sine ulterioribus omnino conditionibus ex parte hominis prærequisitis, actu conferre velit; quod manifestum est ex catalogo Beatorum, ab Apostolo in eodem capite adductorum.* II. Quod addebatur de fruitione favoris & gratiæ divinæ, ad illud dico: certum utique esse, quod illi placeant DEO, qui actu fruuntur gratiâ ejus speciali, ac præsertim Evangelicâ, quò digitum intendere videntur Adversarii, Maresius vid. l. c. th. 44. sed nego, quod iidem antè, æquè non placuerint, suppositò eos fuisse Electos. Placere enim DEO electum, innuit internum & immutabilem DEI favorem, quanquam gratuitum; ac proinde Electus, dum fruitur DEI beneficiis, non tum incipit placere DEO; sed tantum sentit se placere DEO, propter ipsi factam beneficiorum divinorum, quæ sunt effecta favoris DEI, communicationem. Ex hoc autem discursu, juxta Adversarios hoc monstrum prodit: *Placere electos DEO, antequàm placent; placere, quia eliguntur & destinantur ad vitam æternam, antequàm placent, hoc est: aut in fide actuali, aut in prævisa.* Fidem enim non requirunt Advers. ad τὸ placere DEO, ad vitam æternam. Apostolus autem dicit: *Impossibile esse placere DEO sine fide, ad vitam æternam.* Quia igitur certum, *neminem placere DEO sine fide, certum quoq; illud erit: neminem esse Electum ab æterno sine fide; quod erat ostendendum.*

ΘΞΙΣ

ΘΕΣΙΣ III.

Quemadmodum autem Electio hominum ad vitam, non est absoluta; ita quoque reprobatio quorundam ad mortem, non est absoluta; sed ordinatè, sub prævifa vocandorum inobedientia & finali incredulitate, ab æterno facta.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. 39. Disputabamus antè, de modo & ordine Electionis hominum ad gloriam, ubi, vel vox ipsa indicare videbatur, illam non omnium; sed quorundam tantum hominum esse, qui, ex corrupta peccatorum massa segregati sint ab æterno, in futuram vitæ æternæ possessionem. Nunc verò de oppositò illius Electionis, nimirum: *Reprobatione*, aliquid dicere, sedet animo, ut juxta illud: *opposita juxta se posita magis elucescant*. Atque de voce imprimis, non abs re duo tantum notabimus. Primum, quòd in tota Scriptura S. nomen reprobationis, secundum litteram non inveniatur, oppositum ipsi Electioni ad vitam æternam; sæpius autem verbum reprobare; quamvis iterum non oppositum τῷ Eligere propriè dicto: Nam reprobare, in Scriptura significat generatim; contemnere, rejicere, non acceptare, non eligere, non approbare, quæ omnia unico istò vocabulò: *ἀποδοκιμάζεν*, Græci complectuntur vid. Matth. XXI. 42. Marc. VIII. 31. c. XII. 10. Luc. X. 22. cap. XVII. 25. cap. XX. 17. I. Petr. II. 7. Ebr. II. 17. Et notat B. Mentzer. Tom. I. Giff. disp. XV. th. 40. seqq. quòd nunquam verbum illud *ἀποδοκιμάζεν* in N. T. usurpetur in Conjugatione activa de DEO, respectu ipsorum hominum, sed de hominibus dici Psal. CXVIII. 22. Actor. IV. 11. I. Petr. II. 7. & alibi, quòd *edificantes reproba verint lapidem, qui factus sit in caput anguli*. In V. verò T. quamvis alicubi occurrat in conjug. activa, etiam de DEO; apud LXX. Interp. tamen ferè, aut fortè tantum de reprobatione & rejectione hominum à prærogativa mundana, & temporalibus beneficiis, legitur.

§. 40. Alterum notand. quòd ingens sit discrimen; secundum Scripturæ S. stylum inter vocem Reprobationis; &

vocem Prædestinationis, ut proinde Prædestinatio reprobationis genus constitui nequeat, quod quidem volunt Adversarii. Prædestinationem enim Scriptura S. semper pro Synonymo Electionis habet, nec latius, nec strictius patente, ita, ut sensus earundem vocum logicus semper coincidat. Convenit tamen inter Reprobationem & Electionem DEI hæcenus, quòd utraq; , sicut ab æterno, ita etiam facta sit secundum voluntatem DEI consequentem & singularem, quæ aliàs etiam voluntas justitiæ vocatur; non verò secundum voluntatem DEI antecedentem, universalem, & misericordiæ. Cæterum, Reprobationem non esse speciem Prædestinationis, pluribus non vindicabimus, & ideò cum primis bonâ veniâ præterire possumus, quòd non omnes quoq; Calvinianorum illud ipsum asserant; sed potius quidam nobiscum sentiant; ac proinde isti respondere possint in hac re, reliquis Fratribus suis contrarium urgentibus. Ad rem itaq; ipsam.

§. 41. Ubi operæ pretium non judicamus, ante omnia explicare, quomodò nam terminos absoluti, itemq; ordinati hòc locò intelligamus, quod supra §. 29. prolixius expositum est, quæ omnia, ut eò melius intelligantur. Disting. primò. Inter causam Electionis; & causam reprobationis, ac utriusq; ex parte hominum meritoriam, ita, ut hic ex sua dignitate esset electus, alter ex sua indignitate ab æterno reprobatus. Equidem, Electionis ex parte hominum causa meritoria nulla dari potest, propter quam, Deus, ipsos, ut propter aliquod meritum, vim quandam ac prærogativam ex naturali hominis conditione profultantem, elegisset ad vitam. Fides enim, quamvis & ipsa in solidum DEI donum sit, nullam habet virtutem ac facultatem impetrandi à DEO vitam æternam, sed exhibetur tantum prius hominibus, non repugnantibus gratiæ in verbo oblatae, ut habeant instrumentum, quò omnia bona meriti Christi: Electionem, justificationem, sanctificationem, ac deniq; salutem recipere possint, ex gratuita DEI promissione. At è contra in infidelitate sufficiens causa est reprobationis & reprobationis hominum præfractorum; peccatum nimirum finalis incredulitatis. Illa enim foeditas, turpitudò

pitudo & malitia, quæ in infidelitate conspicitur, reprobationem omninò meretur; cùm incredulitas sit malum quid perfectissimè, & maximæ hominum erga DEUM ingratitude complementum.

§. 42. Infidelitas autem & incredulitas, quæ modò princeps est omnium omninò peccatorum, ut etiam jam aliquantum monitum est, non spectatur in decreto reprobationis, ut sic, secundum se & naturam suam, atq; adeò essentialiter, ac intensivè tantum: Sic enim omnes homines essent reprobati, cùm omnes etiam sint infideles ante conversionem & regenerationem; sed spectatur accidentaliter, in concreto, ut in hoc subjecto existit, extensivè, finaliter usq; ad ultimum vitæ punctum ac terminum. Quò quadrare videntur verba B. Luther. in lib. de liber. Christiana, & captiv. Babyl. alicubi: *Peccata, in quantum talia, non sunt proxima damnationis (adde & reprobationis) causa; sed in quantum hæc peccata sub incredulitate manent.* Hi igitur nunc sunt reprobati (vide sup. §. m. 33.) qui vel omnem omninò gratiam in verbo Evangelii oblatam rejecerunt, vel si ad tempus admiserunt & crediderunt, fidem tamen, facientes ea mala opera, cum quibus Spiritus sanctus fidem alens & fovens, ex ordinatione sua amplius consistere non vult; vel prius, vel circa finem vitæ tantum, spontaneè ac turpiter excusserunt. Unde nîl mirum, si deserti à Spiritu S. in æternam damnationem justò DEI judiciò præcipitentur: nihil etiam occultum & absconditum, in arcana DEI voluntate, de hoc dogmate; sed quicquid est, id omne revelatum, id omne manifestum est. Ad absconditum porrò.

§. 43. *Secundò*, Distingvunt Illi, imprimis autem quod sublapsarios attinet, inter *causam reprobationis, & causam ipsius damnationis* hominum, & concedunt: plenissimam damnationis causam esse peccata & incredulitatem; adeoque per peccatum, omnes eos morti æternæ addictos esse, quos sibi non elegit DEUS; negant autem quòd incredulitas finalis sit causa *Eorundem* reprobationis, cujus causam assignant, solum & absolutum DEI beneplacitum, quod antegreditur omnem

omnem omninò obedientiæ vel inobedienciæ hominum actualis, prævisionem. Sed I. hæc distinctio reverà *occulta* est, nam neq; habet fundamentum in Scriptura, neq; in natura; ex quibus scimus tantum, quicquid scimus. Et tamen non verentur eandem distinctionem usurpare PP. Dordraceni part. I. Synod. p. m. 514. II. *inepta*, quia damnationis & Reprobationis eadem prorsus sunt causæ, quod alibi probabitur. III. *Ridicula*, nam si ex eorum sententia, Deus, quosdam immutabiliter destinavit ad illa media, quæ non solum merentur naturaliter damnationem; sed inducunt etiam in eandem, hominem; certè idem est, sive dicatur destinasse ad æternam damnationem, & ejus causam solam, esse DEUM, sive dicatur ad finalem incredulitatem destinasse, & ejusdem ac reprobationis causam esse, nam ex finali incredulitate non potest non sequi damnatio, inò pro hîc & nunc habetur pro ipsissima damnatione; ita, ut salvâ veritate Evangelicâ ne quidem Deus possit circa eandem dispensare. Et porrò, si concedunt, DEUM ex sola *evdantia* seu simplici beneplacito suo, non posse damnare hominem citra ejus meritum, quomodò dicere possunt: posse DEUM destinare hominem, ad damnationem inevitabilem, ex sola *evdonia*? Certè utrobiquè paritas est causæ.

S. 44. *Tertiò*, distinguunt inter actum reprobationis *affirmativum* seu *positivum*, & inter *actum negativum*, quem nonnulli ipsorum *nudam præteritionem* DEI vocant; prior actus illis est, prædestinatio hominum ad æternos inferni cruciatus, & prædamnatio quasi, nullò habitò respectu bonæ vel malæ actionis ac qualitatis in hominibus repertæ. Et hanc quidem distinctionis partem, quæ explicationem Antiquiorum, hodierni abjurârunt, amplexi alteram, actum scilicet prædestinationis ad mortem, negativum, quem nominant, actum *nudæ præteritionis* seu non electionis divinæ, respicientem quosdam homines jam in peccato originali, vel etiam actuali constitutos; de qua re præprimis vid. Spanhem. de gratia DEI universali. p. 173. Mares. LL. IV. th. 51. Sed iterum hæc distinctio nulla est. Nam I. non disputamus nunc, quidnam DEUS facere possit absolutò Jure suò; si consideretur abstractè ab
omni

omni jure revelatō; sed quidnam facere possit ac velit, si voluntas ejus spectetur concretè, ut in Scriptura se se revelavit. Verum enim est, quòd DEUS secundùm rigorem justitiæ suæ potuerit illud statuere, & sibi ab æterno proponere, ut solùm propter originale peccatum (quamvis hoc nunquam fortè existat sine actuali, quod alibi ventilatur) totum genus humanum, non tantùm aliquos prætereat. Sed hoc est in quæstione: *an salvâ justitiâ suâ revelatâ & Evangelicâ, propter peccatum originale (quod præsupponere videntur Adversarii) quempiam ex absoluto beneplacito, ac proposito suo præteriit.* Ubi iterum de Infantibus Gentilium, quos divino judicio relinquimus, non disputamus. II. Si DEUS aliquos propter sceditatem, & turpitudinem originalis culpæ præteriit in decreto reprobationis; jam non absolutè præteriit; sed ideò, quia illi meriti fuère illam præteritionem, juxta comminationem primi Parentis: *morte morièris &c.* III. Certè nuda præteritio non absolvit actum & firmum propositum (quod urgent ipsi) divini reprobationis Decreti; quærerem enim tantùm, *an actus ille præteritionis divina includat aliquam affirmationem seu actualem decisionem damnationis, hujus, istius, illius Improbi, omninò securæ, vel non includat?* Si prius: certò ponit finem aliquem; quorsum? ad æternam damnationem nullo prorsus modo, propter severum DEI decretum & voluntatem, evitabilem. Si verò nullam affirmationem includit, tum erit aliquod decretum DEI, vagum sine omni fine, & dici poterit, quòd DEUS decreverit aliquid & prædestinârit ab æterno, sine omni fine, ad nullum finem; quod absurdum; quamobrem non abs re videntur Remonstrant. Act. part. II. p. 236. dicere: *Reverà in Evangelico fœdere possumus quidem mente & cogitationis nostræ subtilitate duos istos actus distingvere; at causâ, objectò & fine distingvi apud DEUM negamus. Eadem enim causa, idem objectum idemq; finis non salvationis vel non dationis vitæ æternæ, & damnationis.* IV. Addere possumus consensum Zanchii lib. V. de nat. DEI cap. 2. qui postquam disputâset, causam reprobationis simpliciter nullam assignari posse præter DEI voluntatem, accommodè subjungit: *nihil referre utrum negativè, an affirmativè*

G

accipia-

accipiatur reprobatio; quando utramq; idem sequitur effectus, nempe æterna damnatio: quanquam unam immediatè, alteram verò mediatè.

KATAΣKEΤΗ.

§. 45. Probamus non thesin nostram, cujus duo videntur esse membra. Primum: Neminem hominum ex absoluto & simplici DEI beneplacito ad æternam damnationem esse reprobatum, quod probamus I. ex Ezech. XII. 33. Cap. XXXIII. II. Vivo ego, dicit Dominus, DEUS: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Conf. II. Pet. III. 9. Non vult DEUS aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. In quibus dictis dubio procul non tam sermo est, de perditione & morte corporali ac temporali, quàm spirituali & æterna, ut videre est ex v. 12. seqq. cap. Ezech. 33. & in Petro quoq; ; nam impœnitentiæ, tanquam stipendium, adjungitur mors æterna, ut pœnitentiæ vita æterna. Hinc arg. quicumq; non vult ullius hominis mortem & damnationem, nec eadem delectatur, Ille ex absoluto & simplici odio non reprobat ullum hominem, ad æternam mortem & damnationem. Atq; DEUS non vult, &c. Ergò. Major prob. quia aliàs DEUS esset simulator & deceptor, quod absit, si cum tanta affectûs sui erga omnes homines attestazione, in se tamen occultè, erga maximam eorum partem, iram ac odium foveret, dum inevitabiliter eam destinaret ad æternos cruciatus; argutè Remonstr. part. II. Act. p. 240. Nescimus, inquiunt, an ullus ex contra-Remonstrantibus verba sua benevolentia & dilectionis erga alios plena, per hujusmodi sanctam simulationem & duplicem voluntatem explicari, patienter unquam laturus esset. Minor, habetur in textu utroq; allegato, quorum ut emphasis eò meliùs appareat, inspiciatur insigne illud misericordiæ divinæ elogium Exod. XXXIV. 6. Transiens Jehova ante faciem Mosis in-clamavit: Jehova, Jehova, DEUS fortis, misericors & gratosus, longanimis & multus benignitate ac fide &c.

§. 46. Excipiunt autem Adversarii. I. ad id, ubi dicit DEUS: Nolo mortem impij. Illud intelligi debere de iis solis, quibus datur conversionis gratia, hoc est, de solis Electis. Sed rectè Resp. B. Mentzerus Giff. tom. I. disp. XV. th. 118. loqui
ibidem

ibidem Prophetam de iis, qui se averterunt à justitia, quos DEUS dicit in peccatis suis morituros, quæ descriptio Electis non convenit. Et si quis diligenter examinârit totum textum, non habet in quo tumultuetur. II. *Dicunt*, velle DEUM converti omnes impios, approbativè, *hoc est*: non esset contra beneplacitum ejus si converterentur; nolle tamen effectivè, *hoc est*: efficaces conversionis vires ipsis elargiri. Sed, vel Ipsi Remonstrantes egregiè diluunt hoc commentum in Act. alicubi; hoc ferè modo: *Quicquid DEUS non vult absolutò beneplacitò, & ex aeterno decreto, illud non potest approbare, quia contra id ageret, quod semel statuit se facturum. Atq; DEUS ex aeterno & absoluto decreto non vult omnium hominum conversionem, Ergò etiam si eveniret illud, non approbaret.*

§. 47. Argumentamur II. ex Joh. III. 16. *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c.* Item Rom. XI. 32. *Conclusit DEUS omnes in incredulitatem, ut omnium miseretur*: I. Tim. II. 4. *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Quoscunq; DEUS adeò dilexit, ut pro salute eorum, filium suum unigenitum daret. Et quorumcunq;, ne unò quidem exceptò, vult misereri, ex illis neminem ex simplici & absoluto odio ad aeternam mortem destinavit. Atq; omnes homines ita dilexit, & omnium etiam hominum misereri vult. Ergò, Majorem concedent, ad minorem verò excipiunt. I. vocem Mundi accipi pro solis Electis ex universo Mundo. II. Universalem particulam notare non singulos generum, seu omnes cujusq; statûs ac nationis homines, sed genera singulorum, hoc est: quosdam ex omni natione ac ordine hominum; ob idq; restringi ibidem particul. omnium, ad universalitatem electorum. Resp. Ut *ὅσων ἐστὶν τῶν ἐθνῶν* faciamus, ad posterius. Verba Apostoli Pauli intelligenda esse secundum subjectam materiam, nec admittendam esse universalium vocabulorum restrictionem, nisi quam ipsa Scriptura ostendit & confirmat. At verò in dictis locis subjecta materia non agit de solis Electis: neq; ullum ibi apparet vestigium restrictionis, à Spiritu S. monstratum & confirmatum. vid. tom. I. Giff. disp. XV. th. 114. Ad alteram exceptionem, respondet. B. Dorscheus Pentadec. G 2 disp.*

disp. XI. p. m. 383. *Vocabulum, inquit, Mundi nunquam solos electos notat, absolutè electos notare nequit: quod enim nullo modo necessarium erat, imò per quod impossibile erat obtinere finem illum, qui intendebatur, illud Christo tribuendum non est. At, ut Christus moreretur pro iis, qui absolutè electi erant, nullo modo necessarium erat: & per mortem impossibile erat obtinere finem illum, qui intendebatur. E. &c. Minor confirmatur, quod enim absolutè plenariè habetur, illud acquiri & impetrari adhuc non est necessarium. Haberetur enim alioquin una & eadem res simul & non haberetur. Quod contradictionem implicat. Atq; absolutè electi habent jam antè, id, sine intuitu mortis Christi meritoria, quod per mortem eam acquisitum dicitur. Erant enim in gratia apud DEUM Patrem ex summo amore nominatim, absolutè & peremptoriè ab ipso destinati vitæ æternæ. Nunquam autem tantum electos notare patet, ex consideratione locorum à Calvinianis, & imprimis Dordracenis, Riveto & Chamiero (quos supra loc. dicto citaverat) productorum Joh. III. 16. Ubi per mundum tantum Electos intelligi non posse ostendit, (1.) absurda analysis, quæ oritur si pro Mundo electos ponas, (2.) manifesta divisio mundi in credentes & incredulos, & salvandos & perituros. Hæc ille, Reliqua autem loca ibidem vindicata, huc non spectant.*

§. 48. *Atq; jam probavimus, nullam esse reprobationem hominum absolutam; remanet igitur quod factum sit Reprobationis Decretum, secundum ordinem divinitus institutum, quem dum quidam hominum observare nollent, in æterno DEI conceptu excidère vitæ æternæ. Nunc, causam excidentie & privationis illius gloriæ cælestis, esse infidelitatem finalem, quod erat alterum thesæos nostræ membrum, probatu est facile. Argumentamur: Propter quam causam DEUS in tempore hominem damnat, Item, quos & quales in extremo judicio secundum Evangelij sententiam condemnaturus est, propter illam causam, illos etiam ac prorsus tales, ab æterno damnare constituit; hoc enim est reprobationis decretum. Atq; ex revelatione divina hoc solum habetur, quod propter inobedientiam & incredulitatem finalem damnet DEUS hominem. Item, omnes ac solos Christo immorigeros, & pertinaciter usq; ad finem vitæ incredulos in extremo ju-*

mo iudicio sit condemnaturus. Ergò. Minor extat in Scripturæ locis infinitis. Joh. III. 18. seqq. qui non credit in Christum, jam iudicatus est. Joh. I. 9. seqq. Matth. XXV. ferè per totum. Major autem fundatur in illa verissima regula: quod decretum reprobationis & executio ejusdem, quoad causas, prorsus conveniant; nam, si diversas haberent causas, sequeretur voluntatem DEI aliquam, immutatõ objectõ suõ esse mutabilem, quod ex adversariorum sententia sic ostendo: juxta ipsos absoluta DEI voluntas est, quã aliquis prædestinatur ad æternam damnationem immutabiliter futuram; hæc autem est conditionata, quã damnatur in tempore, damnatur enim propter incredulitatem; at verò mansit incredulus propter priorem voluntatem DEI absolutè necessitantem. Et quia damnatio, videturi DEI absoluti omninò futura, & damnatio prædestinata, jam actu huic subjecto pœnaliter immissa, aliter non afficit voluntatem DEI, sequitur, ut dixi, illam esse mutabilem. Si nimirum resp. decreti est absoluta ab omni qualitate hominis reprobis, resp. autem executionis conditionata: aut, quod verum est, necessariò manebit: cum executio fiat sub respectu infidelitatis finalis, ita quod, ipsum reprobationis decretum fuisse ordinatum. Urgeo illud ex superabundanti. Joh. III. 18. qui non credit jam condemnatus est, cur condemnatus est? dicitur, quia non credit; in quem non credit? in Christum: ubi prætere non potes infidelitatem hominum per lapsum Adami contractam, hæc enim non erat talis, propter rejectum Christum, qui ne quidem promissus erat hîc & nunc; quando condemnatus est & iudicatus, Is, qui non credit? non in tempore actualis cruciatûs inferni, nam omnes omninò increduli finaliter, sunt iudicati & condemnati: at non omnes, adhuc cruciantur in inferno; iudicatus igitur est, qui non credit in Christum; juxta æternam DEI decretum, cur iudicatus est? Resp. ex v. 18. 19. quia non credit in Christum, quia dilexit magis tenebras, quàm lucem.

§. 49. Objiciunt autem communiter, PP. Dordraceni passim, doctrinam Electionis & Reprobationis æternæ non esse

esse colligendam ex revelatione Evangelica, in qua fideles quidem dicantur salvari, infideles verò damnari; sed aliùs ascendendum & recurrendum esse ad occulta DEI judicia, de quibus exclamet Apostolus Rom. XI. 33. *O altitudinem divitiarum Sapientiae & scientiae DEI, quam incomprehensibilia sunt judicia eius!* In specie Frid. Spanhemius Prof. Leyden. exercit. de gratia univers. p. 1213. *quòd revelatio divina & gratia Evangelica ab hominibus rejiciatur, causam quidem proximam ponit in hominibus, monet tamen etiam aliùs ascendendum esse ad DEI iudicia, quae causa causarum sit & in qua una nobis acquiescendum.* Et quod utramq; paginam (ut dici solet) apud ipsos facit: Indiguisse DEUM hominibus absolutè reprobatis, ad manifestationem justitiae suae, quae puniret quosdam infernalibus cruciatibus inevitabiliter destinatis. Resp. I. Verum est, quod ipsi etiam Adversarii quadantenus fateri videntur in annotata object. nullibi in toto Codice biblico absolutè & sine omni ordine factae vel electionis, vel reprobationis mentionem fieri. II. Falsum esse, quod dicunt, dari præter revelatam DEI voluntatem, aliam aliquam occultam, ad paucos homines pertinentem, ut demonstravit nuper, sæpè laudatus Excell. Dn. D. Meisnerus, 1. *Quia aliàs Christus & Apostoli omnibus & singulis Auditoribus suis totam ac principalem DEI voluntatem, de eorundem salute & exitio non annunciassent, quod falsum esse Apostolus testatur Act. XX. 27. Nec 2. omnibus, sed paucis tantum, illis scilicet quibus destinata fuisset; voluntatem illam generalem annunciare debuissent. Imò 3. voluntas illa revelata & abscondita manifestam involueret contradictionem; una enim esset de salvandis credentibus & damnandis incredulis, altera de damnandis & absolvendis illis, qui ab aeterno ex absoluto decreto ad id destinati essent.* III. Deniquè etiamsi homo lapsus non fuisset, nedùm post lapsum (quod sublapsarii contendunt) absolutè reprobatus, illud tamen non impedivisset, quò minus justitia divina manifestaretur, vel per damnationem Angelorum, vel verbò saltem, quemadmodùm Jura Magistratuum facta atq; tecta manent, de puniendis facinorosis; quamvis propter

propter obedientiam subditorum, de nemine habeatur executio; *deinde* quicquid sit, ita divinæ justitiæ manifestatio stabilienda & veneranda est, ne violetur Ejus sanctitas, & alia attributa divina, ut quando duplex in Eo fingitur voluntas: *feria & simulata &c.* Reliquas objectiones undecunq; & quomodocunq; conquistas, ipsi conflictui reservamus, diluendas. De quibus interim, in genere monendum videtur, quòd distingvendum sit inter ipsam gratiam Evangelicam, adeoq; plenissimam in verbo, totius voluntatis divinæ manifestationem, in qua, quæ salutem hominum attinet, nihil occultatum est; Et inter gratiæ illius ac voluntatis divinæ dispensationem & admirabilem œconomiam, in qua, multa occurrunt imperferutabilia. *Cur nempe, quando, & in hac regione potius, quàm alia; cum neutra sit magis digna, publicum verbû sui præconium &c. denuò iterari, Deus, velit? ac alia.*

§. 50. Ac proinde, ex hæcenus dictis omnibus & singulis apertè concludimus. Dogma Calvinianorum de absoluta Prædestinatione hominum, purum putum figmentum esse, & hoc adhuc transire posset; hominum enim est errare, modò justitiam, bonitatem, veritatem, sanctitatem ac misericordiam DEI erga omnes homines toties in Scriptura celebratam, non violaret; repugnaret item naturæ verbi divini & Sacramentorum, reddendo eadem respectu maximæ partis hominum inefficacia, imò ex primaria, immutabili, & irresistibili DEI intentione quàm plurimis exitiosa. Deniq; nisi pietatis hominum promotioni officeret, cunctis sceleribus amplam referaret januam; scorteris nunc, occidas, furta, latrocinia & omnis generis mala atq; facinora committas; manebit tamen firmissimum; te simplici, absolutò & invariabili DEI decretò prædestinatum esse ab æterno, aut ad vitam æternam, quam omninò obtinebis, aut ad æternam mortem, quam nullò prorsus modò effugies. Hi sunt flosculi ex doctrina Reformatorum per necessarias consequentias deducti; nec supellex nostratam curta est domi, quin hæc singula ad oculum demonstrare

monstrare possimus. Sed quia necessitate adactis brevitati
studendum erat, legat hæc omnia, cui placet; in *Act. Remon-*
strantium decl. art. I. à pag. 238. usq; ad 272. In Anti-Massonio
Pl. Rev. atq; Excell. Dn. D. Welleri passim ferè per totum; non-
nulla etiam in Interpell. B. Dorschei ad Medit. Triglandij de volun-
tate DEI universali &c. pag. 120. seq. 141. seq. 151. Prætereà
tamen non possumus non adscribere iudicium Jac. Arminii,
Profess. in Academia Calv. Leydensi primarii, ante factionem
adhuc manifestam de Prædestinatione Calvinistica, prolatum,
quod extat in præfat. Synodi nationalis Dordrecht, habitæ:
In Ecclesiis Reformatis, de divina Prædestinatione tradi doctrinam,
que cum DEI natura, ejus sapientia, justitia & bonitate, cum
natura hominis, ejusq; libero arbitrio, cum opere creationis, cum
natura vitæ mortisq; æternæ, ac peccati deniq; pugnaret: quæq;
gratiam divinam tolleret, DEI gloria inimica, hominum saluti
esset noxia: quæ DEUM peccati autorem faceret, tristitiam
propter peccatum impediret, piam omnem sollicitudinem tolleret,
studium bona præstandi minueret, ardorem precandi extingveret,
timorem tremoremq;, in quo salutem nostram operari debemus,
auferret, desperationem pareret, Evangelium inverteret, verbi
Ministerio obsesset, postremò fundamentum non tantum Christianæ,
sed & omnis omninò Religionis everteret. Hæc ille. Tantum.

Ad majorem nominis divini gloriam
& honorem.



adi
on-
nio
on-
in-
rea
ii,
em
m,
æ:
m,
um
um
eg,
uti
um
t,
t,
is,
bi
æ,

06 A 1008

ULB Halle


3

004 544 595



WOLFF





I. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
ELECTIONE
& REPROBATIONE,

Quam
Auxiliante salutis Fonte, Jesu Christo.

In
Alma Universitate Wittebergenſi
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO
Admodum Reverendo, Ampliſſimo atq̄
Excellentiſſimo,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,
SS. Theol. D. Ejusdemq̄; Facult. Prof. Publ. Primar.
longè celeberrimo, ac p. t. Decano Spectatiſſimo, Con-
ſiſt. Ecel. Adſeſſore graviſſimo, Eccleſiæ Witteberg.
Paſtore & Electoratus Saxonici Superintendente Generali
meritiſſimo, vigilantiffimo &c.

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore
ſuo, filiali obſequio ac devotione æviternum colendo
ac ſuſpiciendo.

Publico Eruditorum Examiſi ſubjicit
JOHANNES ENSEL Hungarus.

A. & R.
In Auditorio Majori ad diem Maji.

Typis MICHAELIS Wendt. 1661. 15